

Carl Aigen delin: | J. H. Märtin sc Viennæ

MEMORABILIA
DE
TEMPLO, AC TURRI
AD
S. STEPHANUM
VIENNÆ AUSTRIÆ.

Fide ſumma è veteribus documentis
eruta
LAUREATIS HONORIBUS
Illuſtriſſimorum, Perilluſtrium, Reverendorum, Prænobilium, Nobilium ac Eruditorum
DOMINORUM DOMINORUM
AA. LL. ac PHILOSOPHIÆ
NEO-MAGISTRORUM
DEDICATA.

Cùm in Antiquiſſima ac Celeberrima
UNIVERSITATE VIENNENSI
Supremâ Philoſophiæ Laureâ ornarentur.

PROMOTORE
R. P. IGNATIO CHOLER è Soc. JESU,
AA. LL. & Philoſophiæ Doctore,
Ejuſdémque Profeſſore ordinario.
Nec non Inclytæ Facultatis Philoſophicæ
SENIORE CONSISTORIALI.

Ab Illuſtriſſima Rhetorica Viennenſi
Anno Incarnationis Dominicæ M.DCC.XXI.

VIENNÆ AUSTRIÆ, Typis Andreæ Heyinger, Univerſit. Typogr.

Illustrissimi, Reverendi, Prænobiles, Nobiles, ac Eruditi

DOMINI DOMINI

NEO-MAGISTRI.

NEmo miretur Palladem nostram, quæ laureatis honorum subselliis vestris assurgere debuit, in templa hodie atque ad Aras delapsam sacra profanis, humanis divina permiscere. Nempe quæ una Altaribus præest, simul & adoreis, tributum vestræ gloriæ ex utrisque persolvit, dum Antiquissimi, maximiq; templi initia, Progressus, ornamenta deniq; singula paucis his paginis descripta in applausus publici Gratulationisque materiam defert, dicátque. Quod quidem quàm alienum non sit, à loci hujus apparatu, iisque, quos Philosophia vobis hodie decrevit, honoribus. quin imò quàm proprium vobis esse debeat; facilè negotio deprehendetis, si quàm arcto inter se fœdere Antiquissima hæc ipsa, in qua Doctores hodie renunciati estis, Universitas cum sacra hac Divi Stephani Æde conjuncta sit cogitando Percurratis. Utraq; Rudolphum IV. Archi-Ducem Autorem habuit, eadem utriq; incunabula, progressus hactenus pares fuêre, atque dum illa quidem tot sapientissimos viros Literariæ huic Reipublicæ nostræ indies sufficit, hæc tot Disciplinis ad omnem Eruditionem instructos sacræ Augustæq; illius Basilicæ in emolumentum enutrit, enutritósque submittit, utráque profecto in singulare hactenus decus Urbis hujus amplissimæ, in qua vel in lucem editi, vel literis imbuti estis, excrevit. Quid? quòd & ipsa scribendi ratio litigiosa illa quidem, cúmque Autoribus variis, adversantiúmque opinionibus commissis quasi signis dimicans vos præcipuè Judices exspectet, qui è certami-

num

num æstu recens ad laureas supremas promoti Doctorum subsellia conscendistis. Capite ergo tenue munus, nostræ in vos observantiæ pignus, libellum, inquam, hunc memorabilia Turris ac Templi in Urbe hac vestra Principis complectentem, in quo si quid minùs elaboratum cultúmque deprehenderitis, Temporis angustias incusate, quæ rei tam vastæ elegantiùs pertractandæ obicem posuêre, id demum vobis persvadete, cordi nobis longè magis fuisse, ut vera, quàm ut verborum quodam fuco illita in lucem ederemus: hinc plana ibi omnia, atq; à subalimiori illo scribendi genere procul remota, nullis ambagibus diffusa, nullo verborum fastu turgida, ut teri ab omnibus & intelligi sine tædio laboriosóque studio possint. Nec deerunt fortassis aliqui, quibus labor hic noster probari minùs ex eo videbitur, quod à communi scriptionis genere non parum discedat, nec in Orationum se se diffundens flumina, nec versuum elegantijs flosculisq;, ùt Eloquentiæ studiosos deceret, amænus: quod etsi quidem non abnuamus; haud tamen à rerum peritioribus omnibus vile adeò operæ pretium relaturos nos arbitramur, ut non apud multos majorem inituri, hoc studio nostro, præ omni orationum volumine gratiam simus: tum quod ætas hæc nostra ejusmodi elucubrationibus delectetur plurimùm, tum quod idem semper in singulos annos recurrens scibendi genus tædium potiùs lectoribus adferat. Vos, ùt ùt alij senserint, benigniores nobis Humanitas vestra promittit, quam dum nobis deinceps faventem, benevolámque constanter exoptamus, vobis quoque, ut honoris hæc nova accessio gradum ad ampliores in Republica dignitates præbeat sincero animo precamur

Honoris Vestri studiosissimi

Rhetores Viennenses.

TITULUS PRIMUS.

De Prima Templi hujus Fabrica.

TEmplum Divo Proto-Martyri Stephano Sacrum, quo inter tot Deo dicatas ædes neque auguſtiorem mole, neque ſtructuræ artificio, antiquitatiſque nomine potiorem Vienna numerat, eadem planè cum hac Ducum Cæſarúmque ſede exordia nactum eſt; pares progreſſus. Autor utriusque Henricus fuit Leopoldi Marchionis jam inter Divos relati Filius, qui primus omnium Ducis inſignia, tituloſque Auſtriæ intulit. Ja ſo mir Gott dictus ab alijs, ducta fortaſſis exinde cognomenti hujus origine, quòd voces hæ Bavaris primùm uſitatæ in proverbij eidem conſuetudinem abierint.

Deſtinaverat hic Princeps jam antea quam rerum per Auſtriam potiretur, ſeu parentis conſilio (ùt Chron. Ducum Auſtriæ M. S. Biblioth. in Academico Soc. JEſu Coll. refert.) ſeu circumjacentis ſoli opportunitate allectus, eo ipſo in loco ſedem ſuam figere, quem vaſta nunc Viennæ mænia ambitu ſuo complectuntur, nullis tunc quidem ædificijs alijs, quàm conſtructis leviſſima manu Venatorum mapalibus frequenti, nec alio nomine, præterquam veteris illius Vindobonæ ruinis inſigni, quæ 500. propè ab hinc annis Barbarorum incurſionibus deleta, vix ſui memoriam reliquerat.

Exſtructis hìc poſt Leopoldi pij mortem paucis civium ædibus, reſurgere demum ſuis è ruderibus Vindobona cæperat, breviſque intervallo ea fecit incrementa, quibus juſtæ civitatis in ſpeciem redire viſa eſt, ope quidem, ùt opinor, atque conſilio Henrici, qui, quod

dudum mente conceperat, anno tandem 1156. in amplissimo ejus foro maximis sumptibus Aulam sibi erexit, à qua locus ille nomen retinet, dum vulgi usu patrióque sermone Hoff dici hodiedum assolet. Atque hæc quidem Viennæ nostræ, quæ in tantam dein Majestatem, ùt videmus, excrevit, fuêre initia. Ad primam nunc Magnifici templi hujus, quod describendum sumpsimus, fabricam, ejúsque exordia transeamus.

Surrexisse & illud inter prima nascentis urbis ædificia, jactaque ejus fuisse abHenrico fundamenta testantur tum documenta antiquissima, tum post Lazium scriptores plurimi. Inter quos, uti de primo ejus Autore quàm optimè convenit, ita de anno, quo prima ejus fabrica cæpta est, in diversas inter se sententias abeunt. Lazius certè unus tot propè opinionibus, quot libris Commentaria sua de rebus Viennensibus distinxerat, mirâ inconstantiâ à se ipso discedit. Cujus enim initia lib. 2. fol. 47. facta esse ad Annum Domini 1144. statuit, mox antea à se scriptorum immemor lib. 3. fol. 128. ad Annum 1140. reijcit, ùt inspicienti patebit. Sed quid mirum! virum scribendi cupidum, etsi eodem in opere, diversis tamen in libris sibi adversari, qui eadem in pagina quinquagesima scilicet secunda lib. 2. infeliciore longè errore lapsus ita sibi ipsi dissimilis est, ut non eundem, sed diversum se scriptorem legere prudens quisque arbitraretur. Verba ejusdem hìc reddo fide qua potui optimâ excerpta ùt sequuntur: Libro enim & paginâ à me hìc citatâ: *Demùm sub annum* (inquit.) *salutis nostræ* 1144 *cùm Henricus primus Dux Austriæ OO. SS. in Fabianis ædem posuisset à Reimberto tunc Pataviensi Episcopo consecratam, Parochi primi in Fabianis, quæ jam primâ Syllabâ detractâ Vienna & Biana nuncupabatur constitui cæpti sunt, &c.* Cui vix quatuor lineis interjectis subijcit syllabum Parochorum, seu Curionum Viennensium ita referens: *Eberhardus Parochus in recens posito OO. SS. Augustiori paulò, quàm cætera erant, templo à Reimberto Pataviensi Episcopo constitui-*

ſtituitur Anno ſalutis noſtræ 1140. *&c.* quæ quàm malè inter ſe cohæreant, æquo Lectoris judicio committo. Majori venia dignus videtur Autor Chron. Mellicenſ. editi anno 1702. qui primum omnium, qui de rebus Viennenſibus ſcripsêre Autorem Lazium ſecutus, inque diverſa ejus loca incidens, parte 4. pag. 240. narrat à Reimberto Patavienſium Epiſcopo templo huic Eberhardum Parochum præpoſitum eſſe Anno 1140. cùm tamen eadem parte pag. 224. idem omnino templum ab Henrico primo Anno 1157. conſtructum eſſe affirmet. Nec deſunt complures alij, qui ejusdem dedicationem ad Annum 1157. cum Fuggero factam eſſe, tanquam certiſſimum ſtatuunt. Abriperer & ego torrente tot tantorúmque Autorum, niſi me Hundij in recenſendis Patavienſis Eccleſiæ Epiſcopis accuratiſſimi Autoritas ſuſtentaret, atque in aliam abire ſententiam cogeret, qui pag. 130. Reginbertum ſeu ùt alij ſcribunt Reimbertum exceſſiſſe jam è vivis Anno 1148. ac ſequente proximo anno illi ſubrogatum Conradum Juniorem Leopoldi pij Filium ſcribit, cùm citati paulò ante Autores omnes templum hoc conſecratum eſſe à Reimberto Anno 1157. velint.

Ego jacta illius fundamenta ab Henrico quidem ſtatuo, ſed jam Anno 1144. 3tio ſcilicet poſtquam præeſſe is Auſtriæ cœpit. Fidem hujus faciunt M. S. Amiciſſimi mihi viri Curati, ut vulgò vocamus, ad S. Stephani hodiedum munere fungentis beneficio exhibita. Divi Stephani verò honoribus initiatum eſſe exiſtimo, Anno 1147. inter quod ſpatium temporis fabrica templi hujus, utpote anguſtis tunc adhuc limitibus circumſcripta abſolvi haud difficulter potuit. Confirmat opinionem hanc meam Freherus, qui pag. 319. ad Annum 1147. ita refert (verba ſubnecto Autoris clariſſimi) *Reimbertus Epiſcopus dedicavit Eccleſiam Viennenſem, deinde eo anno obijt Reimbertus Epiſcopus, cui ſucceſſit Conradus Frater Henrici Ducis.* Nec aliter ſentit Hundius in metropoli ſua Salisburgenſi pag. 130.

 cujus

cujus pariter verba subjungere placuit: *Hujus Regimberti tempore* (ita ait Autor) *Eugenius 3tius Pontifex summus expeditionem pro recuperatione Palæstinæ instituit, cui & iste Episcopus interfuit, à qua in Patriam reversus non legitur. Dedicavit primariam Ecclesiam Viennensem, antequam ad terram Sanctam proficisceretur anno nimirum* 1147. *sequenti verò anno legitur ex hac vita emigrasse tertio Calend. Octob.* &c. Et certò quis credat optimum Principem, strenuúmque paternæ pietatis æmulum, qui per Bavariam omnem, tum & Austriam tot Deo sacratas erexit ædes, tótque Religiosorum vel fundavit Asceteria, vel censu annuo auxit, adeò immemorem Viennæ suæ fuisse, jam multis antea annis in sedem suam destinatæ, ut cùm ea in justæ civitatis jam priùs speciem adoleverit, eam sine templo tamen ullo, atque ita sine omni Parochorum subsidio incultam ad annum usque 1157. relinqui voluerit. Mihi id certum videtur vel Viennam antea justæ civitatis nomen non gessisse, quod tamen rejecti paulô ante à me scriptores ferè omnes contendunt, vel ante eum annum erectam jam fuisse Parochialem Divi Stephani Ecclesiam, cùm alia, cui certus Curio præfuisset, nulla, nisi ex Lazij figmentis fortassis, erui possit.

TITULUS II.

Quo statu res Templi hujus ab Anno 1147. usque ad 1359. fuerint.

STatutis jam ritè initijs ad ea transitum facio, quæ per ducentos dein, & ampliùs annos vel res hujus Templi immutârunt, vel ad illius historiam illustrandam luminis adferre quidpiam videntur. Pauca ea quidem esse fateor, si tot annorum, quos hìc complector, numerum ineam. At veniam æquus mihi facilè, prudénsque lector indulgebit, vera potiùs, quàm multa scribere laboranti. Multa siquidem hominum ejus

ætatis

ætatis in conſcribendis rebus Socordia noſtræ memoriæ ſubduxit, multa temporis diuturnitate injurijsque abſumpta ſunt. Multa fortaſſis etiamnum antiqua monumenta in Tabularijs latitant, quæ meum, aliorúmque laborem fefellerunt. Ea igitur, quæ tum è M. S. varijs tum antiquioribus Autoribus collegi, hìc ſubijcio; atque inter hæc primo quidem loco Parochorum, qui templo huic usque ad Annum 1350. præfuerunt ſyllabum à Lazio lib. 2. inComment. de rebus Viennenſibus, pag. 59. his verbis conſcriptum.

Eberhardus Parochus in recens poſito OO. SS. auguſtiori paulò, quàm cætera erant, templo à Reimberto Patavienſi Epiſcopo conſtituitur anno ſalutis noſtræ M. C. XL.

Burcardus Præpoſituræ Patavienſi adjecit Parochiam Wiennenſem Anno Domini M. C. LX.

Sigehardus, ùt Canonicus Patavienſis Parochum Viennæ egit anno Domini M. CC. X.

Petrus Magiſterij dignitate inſignitus ex Parocho Viennenſi Batavienſis creatur Epiſcopus in publico Viennæ habito Concilio Anno M. CC. LXVI.

Gerhardus Magiſterij item gradu præditus, ùt Parochus Viennenſis Monaſterium ad Cœli portas Viennæ & Xenodochium in Clagnpaum extra urbem exorſus eſt anno Domini M. CC. LXX.

Bernhardus Bramboekh ùt Parochus Viennenſis in Batavienſem eligitur Epiſcopum, Anno M. CC. LXXX.

Gotofridus Præpoſituræ Batavienſi Viennenſem adjecit Parochiam anno ſalutis noſtræ M. CCC. X.

Pollio quispiam ultimus Parochus Viennenſis in OO. SS. templo, quod jam à Batavienſis diœceſis Patrono, Divi Stephani nomen adſciverat, in humanis adhuc erat anno M. CCC. L.

Verùm & in his recenſendis ſæpiùs quoque à vero bonum virum aberâſſe deprehendo, eúmque vel ideo minore fide dignum eſſe cenſeo, quòd ex arbitrio potiùs ſuo, quàm ex antiquis documentis, quorum nullum omnino teſtimonium adfert, ſcripſiſſe plurima videatur.

deatur. De Eberhardo quidem, quàm sibi ipsi repugnet Lazius, satìs (ùt arbitror) titulo priori ostensum est. Nunc, quantùm in ceteris quoque à meliori aliorum Autorum opinione recedat, videamus. Burcardum & Gotofridum Præposituræ Batavienfi adjecisse Parochiam Viennensem memorat Lazius; at in serie Præpositorum Cathedralis illius Ecclesiæ accurratione summa ab Hundio pag. 152. conscripta nę nomen quidem Burcardi reperio. Gotofridi verò etsi ibidem mentio fiat, quem etiam Comitem fuisse de Kirchberg Hundius testatur, is tamen non Anno 1310 sed tribus primò annis tardiùs præesse cæperat in Godefridi de Weissenegk locum subrogatus, qui ab anno 1289. usque ad 1313. eandem dignitatem gessit. Hinc de alijs quid sentiendum sit, facilè Lector judicabit. Ego sanè certi quidpiam ex hujus scriptoris libris statuere non ausim. Quare non nisi quatuor post Eberhardum Templi hujus Parochos referam, quos ab edaci illa temporis vetustate antiqua quædam documenta, meliorúmque Autorum libri exemêre. Primum hos inter locum obtinet Petrus, dein ad Episcopi Pataviensis dignitatem evectus Anno 1266. ùt refert Hundius pag. 140. his verbis *Petrus artium & Philosophiæ Magister vir in Divinis & humanis literis apprimè eruditus. Uladislai Poloniæ Ducis in Paduano Gymnasio Pædagogus Viennensiq; Ecclesiæ primariæ Parochus, Batavienfi Ecclesiæ Episcopus tali occasione præfectus est, &c.* Multùm quoque ad Petri hujus nomen posteritatis memoriæ transmittendum attulit Concilium Provinciale hic Viennæ Austriæ Anno 1267. habitum: Cujus Henricus Stero scriptor antiquus, qui sub Rudolpho I. Imperatore floruit, his verbis meminit: *Anno ab incarnatione Domini M. CC. LXVII. Dominus Gwido Cardinalis Apostolicæ sedis legatus VI. Idus Maji apud Wiennam Concilium celebravit, cui interfuerunt Joannes Pragensis, Petrus Bataviensis, Bruno Brixinensis, Chunradus Frisingensis, Leo Ratisponensis, Amalricus Laventinensis Episcopi, & alij*

quàm

quàm plures de ipsis Diœcesibus Prælati, Archidiaconi & Decani, &c.

Lazius recentior multò Autor præter jam enumeratos lib. 2. pag. 59. Chron. Viennens. addit Aquilejensem, Tridentinum pariter atque Olomucensem Episcopos Conventui huic interfuisse. Verùm cùm Gwido ipse Cardinalis in Concilij hujus statutis inter Biblioth. Cæs. M.S. extantibus testetur se ad Salisburgensem solùm ac Pragensem Diœcesim cum potestate missum, credibile vix videtur Aquilejensem Tridentinúmque Episcopos esse cum ceteris convocatos. Verba Gwidonis ipsius refero: *Hinc est, quòd, cùm Sanctissimus in Christo Pater & Clemens Papa IV. ad Salzburgensem Provinciam & Civitatem, & Diœcesim Pragensem cùm plenæ legationis officio nos duxerit transmittendos, Officij nostri debitum libenter exequimur &c.* At parum fuisse Lazio videbatur à vero in re tantilla discessisse, nisi continuatis erroribus Lectori imponeret. Nam lib. 2. in Coment. suis de rebus Viennens. pag. 62. sub Clemente III. Anno 1267. hoc Viennæ Concilium esse habitum asserit, mox verò pag. 59. ejusdem libri Petrum in hoc eodem Episcoporum Consessu Pataviensi mitra donatum affirmat Anno 1266. Patet hinc ùt opinor abundè, quàm parum & hic in referendo Concilij hujus anno sibi constet Lazius; quámque ineptè id ad Clementis III. tempora referat, utpote quem non isto, sed priori seculo vixisse nemo quidem dubitat, qui vel obiter chronologiæ melioris in studio versatus est. Nec refutatione egere censeo errorem alterum, quem de Petro à Concilio hoc in Patavienſem Episcopum creato scriptis suis intexuit: Satis is tum Autoritate Steronis superiùs à me citati refellitur, qui Petrum hunc jam Episcopali dignitate præditum ad synodum hanc evocatum edocet; tum ex Hundij verbis paulò ante recitatis. Quare omissis Lazij figmentis ad sinceriora aliorum testimonia transeamus, quorum plurima vir clarissimus, deque Eruditorum Republica optimè in libris suis meritus

Lambecius lib. 2. Bibl. suæ adducit. Unum duntaxat ex his referre placuit, ut & de loco, in quo sacer hic Conventus habitus est, & de tempore quo duravit, Lector sciendi cupidus erudiatur. Extat hoc in Bibliot. Cæs. in M. S. Membraneo ab Autore Anonymo conscriptum, qui Chronicon Hermani contracti per annos complures continuatū deduxit atque Coævus huic Concilio extitit, nam cometam Anni 1264. suis se oculis vidisse, ac subsecutas rerum vicissitudines diligenter observâsse fatetur, verba ejus hìc subnecto: *Anno M. CC. LXVII. Dominus Gwido Apostolicæ sedis Legatus tituli S. Laurentij in Lucina Presbyter Cardinalis, Abbas Cistertiensis, magna fultus Authoritate venit Wiennam, omnes Episcopos, Prælatos, Abbates, Præpositos Decanos in Salzburgensi Episcopo constitutos convocat post Joannis ante Portam latinam feriâ 3tiâ in Parochiali Ecclesia Wiennæ, tribúsque diebus Concilium celebrat, cum jam dictis Prælatis, &c.*

Constituto hac ratione Concilij hujus tempore, de ijs fortassis, quæ tunc acta, quæve statuta fuerint edoceri à me Eruditus Lector desiderabit? Verùm cùm præfixa brevitas fusiùs me excurrere prohibeat, eum vel ad Henricum Canisium tom. 1. Antiquar. Lection. vel ad Lambecium qui ex M.S. in August. Cæs. Biblioth. asservatis omnium sincerissimè Canones illius lib. 2. suæ Biblioth. cap. 3. inseruit remittendum judicavi. Illud duntaxat adiicio; Eo ipso anno, quo hæc synodus celebrata est, Parochum templo huic præfuisse Magistrum Gerardum in Petri locum, jam priori anno Pataviensi infula donati, subrogatum. Docent id Gerardi ipsius literæ, quibus Anno M.CC.LXVII. 15. Kalend. Augusti Vineam quandam Sacris Deo Virginibus ad Portam Cœli degentibus dono transcripsit, si ex Divi Augustini Regula vitam exegerint, sin minus, ut ea Ecclesiæ S. Stephani accedat. Hanc ipsam Ecclesiam D. Stephani multis necessarijs ædificijs ab Episcopis Pataviensibus, geminisque Parochis Magistro scilicet Petro

& Ber-

& Bernardo Prambach, quem & alij Pramoek vocitant restauratam fuisse indicant M. S. in Tabulario senatûs Viennens. Civici mihi exhibita. Videturque restaurandi illius necessitas à gravissimo illo incendio orta, cujus Freherus ad annum 1258. his meminit verbis: *Magna pars civitatis Vienn. exusta est, & Parochialis Ecclesia cum Campanis*: Referunt idem incendium M. S. alia ejusdem Tabularij senatûs Civici. Bernardi verò de Brambach etiam Hundius mentionem facit pag. 142. his verbis: *Bernardus nobilis vir de Brambach Austriacus Canonicus Pataviensis ac Viennæ ad S. Stephanum, ante restitutum ibi Episcopatum Parochus ab Alberto Austriæ Duce Rudolphi Habspurgij Filio Pataviensi Ecclesiæ commendatus eidem præficitur Anno 1282.* Sub hoc Plebano Rudolphus Cæsar post partam Victoriam Viennam ingressus & ad Divi Stephani ædem divertisse videtur, ut Deo laudes, gratésque decantaret. Ita enim Ottokarus Horneck in Hist. Austr. M. S. ad annum 1278. refert mihi à Clarissimo viro Literatorúmque fautore eximio in August. Cæsar. Biblith. cujus dignissimus ipse Curam gerit, exhibitus. Autoris ipsius verba subjungo.

So er so emphangen wart
König Rudolph an der Vart
Dero grofs meng Volck dan
In das Münster S. Stephan
Ist geweicht ze ehren
Da dangt er unsern herrn.

Plura memoratu digna in fide dignis scriptoribus non reperi, præterquam quòd Freherus ad annum 1295. circa nativitatem B. Virginis tantum ventum fuisse ortum memoret, qui Crucem de sinistra turri ad S. Stephanum Ecclesiæ Parochialis deijceret. Cujus ultimum Parochum, antequam ea in Præposituram erigeretur fuisse Leopldum Sachsenganger ex literis in Ta-

Tabul. Cathedral. Ecclesiæ ad S. Stephanum deprehendo, quas paulò inferiùs reddam.

TITULUS. III.

A quo hoc templum amplificatum atque in eam, qua nunc cernitur formam redactum sit.

UT res maximæ eam, in quam excreverunt amplitudinem, minimis plerumque debent initijs, ita splendorem suum Majestatémque, quam & Augusta ipsa hæc Cæsarum sedes Vienna, & sacrata D. Stephani honoribus ædes amplissima istius mœnibus conclusa hodiedum retinet, non nisi è levibus exordijs, angustisque, quibus continebantur, terminis deduxêre. Jecit utriusque fundamenta Babenpergensium per Austriam Ducum munificentia, ùt superiùs indicavi, sed utriusque gloriam liberalior dein Habspurgicorum Principum Cura, ac pietas eò promovit, ut illa urbium jam per Germaniam Princeps facilè audiat; hæc neque de structuræ magnificentia, neque de ornamentis cæteris ulli per vicinas latè Provincias Sacræ Basilicæ concedat. Et verò urbem hanc nostram amplissimam decus suum omne à tot Cæsarum Majestate traxisse, quot continuata serie Aulam in illa fixêre, nemo quidem ùt reor sapientum inficiabitur. Templi duntaxat & illius, cujus ingentem molem, sumptuosumque ædificium indies cernimus, & admiramur, propè Restauratorem ignoramus, alijs id gloriæ Parenti, Filio id alijs tribuentibus.

Fuggerus scilicet, uti & Autor Chron. Mellicens. superiùs titulo 1mo. àme citat. ac recentiores propè omnes quotquot Templi hujus meminerunt Albertum II. cognomine sapientem inchoâsse hanc novam, quæ hodiedum videtur, fabricam volunt. Sequitur hos

com-

communis ac obfirmata jam populi opinio, quæ deterrere me haud parum poterat, quó minus in contraria Sentientium partem transirem. Verùm cùm recensitos hos scriptores præter sua verba nil omnino de antiquis documentis adferre, atque ita unius Lazij sententiam secutos esse videam, facilè me rem apud eruditos evicturum putabam, si ad hujus scriptoris toties à me reprehensi autoritatem evertendam, ex ipsius verbis, quàm malè secum consentiat, ostendero, tum & ea antiquissima testimonia ex M. S. excepta attulero, quæ vel amicorum beneficio, ipse inspexi, vel etiamnum dum hoc scribo apud me detineo. Utrumque ut præstem, en geminum locum ex Lazio subjungo. Refert dictus Autor lib. 3. Comment. de rebus Vienn. pag. 101. de Rudolpho IV. his verbis: *Templum verò ipsum ab Henrico quondam primo Austriæ Duce omnibus Sanctis Consecratum, & ab Episcopis postea Pataviensibus Stephani nomine suæ Diœcesis Patroni decoratum, & novis fornicibus, & turri admirandi operis (quæ inter orbis miracula est habita) augustius multò reddidit.* Cùm tamen in Comment. alijs Genealog. scilicet Austr. lib. 3. pag. 229. totum id Alberto Parenti attribuere videatur sequentibus. *Unde & Basilicam S. Stephani, quæ ante aliquot secula ab Henrico I. Austriæ Duce Sanctorum omnium nomini consecrata fuerat, in altiores fornices extulit, multáque sculptili & turri admirandi operis exornavit. Quam Filius dein Rudolphus ad extremam manum perduxit.*

Quis hìc non videat (tuam Lector erudite fidem imploro) quàm se ipsum gravis erroris convincat Lazius, dum ingentes hos fornices jam ab Alberto eductos, jam à Rudolpho veteri ædificio impositos nescio quo labilis memoriæ vitio affirmet. Idem esto de turri judicium, nam quam inferiori loco ab Alberto inchoatam, ac à Rudolpho ad extremum apicem perductam innuit, superiùs prima à Rudolpho traxisse exordia recenset, ùt clariùs adjectæ hæ ab Autore ad marginem

notæ

notæ cit. lib. 3. Comment. de rebus Vienn. pag. 101. ostendunt in hæc verba : *Exordia insignis turris Viennensis.*

Rejectis sic uno in Lazio ceterorum omnium, qui illius Autoritati innituntur opinionibus, ad ea memoranda propero, quæ non continuâsse tantùm cæpta ædificia augustissimi Templi in eam, qua hodie est, formam redacti, sed & primùm omnium ejus fundamenta jecisse Rudolphum IV. Alberti sapientis Filium ostendent : Sunt inter hæc M. S. quædam ab A. R. ac Clarissimo quodam Domino, Curati, ùt dicere solemus, hodie ad S. Stephanum munus obeunte amicissimè mihi communicata: Codex est chartaceus in 4to, ùt dici amat, conscriptus ab Abrahamo Stauber, qui ad scribendas templi ejusdem rationes, procurandásque res illius usibus servientes non paucis antea annis adhibebatur. Testatur hic memoratus scriptor se in ipsis gradibus, qui ad cryptam subterraneam, seu locum Archi-Ducum Austriacorum sepulturæ destinatum deducunt, lateri parietis immissam, insculptámque lapidi crucem non unâ, sed vicibus pluribus vidisse, cujus geminas extremitates superiùs bina ambiunt insignia, ad dexteram quidem Aquilam Coronatam, ad lævam verò bicipitem sine diademate exhibentia. Imminet medium inter hæc duo Crucis vertici scutum tertium Austriacum rubris albísque coloribus distinctum. Verba verò inferiùs lapidi insculpta leguntur sequentia.

RUDOLPHI FUNDATORIS ECCLESIÆ S. STEPHANI.

Adjungit idem Author prædicti codicis testimonium alterum multò ad rem nostram clarius, atque præstantius. Narrat siquidem in media hac crypta jacere Rudolphum, è sublimi magnos cineres ejus demonstrante manu è nubibus protensa cum hac adjecta Epigraphe:

HIC JACET FUNDATOR.

Nè verò id de ſola Eccleſiæ hujus in Collegiatam erectione poſſit intelligi, addit: Pij Principis hujus oſſibus impoſitum gladium jam penè rubigine conſumptum crucemque plumbeam cum ſequenti Epitaphio à ſe accuratè deſcripto.

Anno Domini M. CCC. LXV. die Dominica poſt feſtum S. Jacobi Apoſtoli VI. Calend. Auguſti obijt Mediolani Serreniſſimus Princeps Rudolphus Dux Auſtriæ, Styriæ, & Carinthiæ Anno ætatis ſuæ XXVI. qui probitate ſua, dominióve obtinuit Comitatum Tyrolenſem & Conſtruxit Eccleſiam S. Stephani Parochialem Viennæ, & mutavit eam in Eccleſiam Collegiatam & hic ſepultus eſt.

Fidem tantò libentiùs viro huic optimo adhibeo, tum, quòd non ſemel cryptam hanc luſtraverit, ùt ipſe fatetur, quando ex recepto jam more demortuorum Archi-Ducum viſcera inferebantur, tum quòd hæc ab eodem relata antiqiſſimorū ſcriptorum teſtimonijs apprimè conveniant. Exhibitum mihi horum unum in Auguſt. Biblioth. Cæſarea ſcriptoris Anonymi in M.S. Codice antiquiſſimo, qui Chronologiam Ducum Auſtriæ unà & diem obitûs continet, atque inter cetera de Rudolpho IV. his verbis accuratè non minùs quàm ſincerè à me excerptis ita meminit:

Anno M. CCC. LXV. am Sontag nach Sand Jacobs tag ſtarb der durchleuchſte Fürſt, Herzog Rudolff von Oſtereick der Vierd ze Mailand der het ein Gemahel, die war Kaiſer Karl Tochter des Vierden genant Katherina, der obgenant Herzog Ruedolff hat her zu pracht die Graffſchafft zuo Tirol der hat auch geſtifft den Probſt und dy chor herren ze

Wien

Wien zu Sand Stephan, und hueb auch an das neu pau ze Wien zuo Sand Stephan, und ist daselbs pegraben.

En bone Lector, quàm hæc diversa sint à Lazio, ejusque sequacium opinione testimonia! non unius Autoris toties jam de errore convicti è cerebro, sed ex monumentis vetustissimis eruta atque deducta. Non hæc Rudolphum IV. paternæ pietatis æquè ac cæpti ædificij instauratorem, sed Ecclesiæ Fundatorem, Autorémque statuunt. Non perfecisse, atque ad ultimam manum deduxisse turrim, sed construxisse Ecclesiam, non inchoatos à Parente erexisse fornices, sed novam inchoâsse ædificij molem demonstrant. Et sufficere hæc fortassis properanti ad alia Lectori videbuntur, at non mihi, qui pluribus congestis testimonijs ad convellendam multorum opinionem tot jam annis, recentiorumque nonnullorum editis libris confirmatam opus esse censui. Haslbachij itaque olim ad Divum Stephanum Canonici hac super re judicium, sententiámqne adijciam, qui in Chron. Austr. M. S. accuratè à me in Biblioth. Cæs. perlecto lib. 3. fol. mihi 80. ita de Rudolpho scribit: *Ecclesiam denique præfadam (loquebatur autem prius de hoc ipso D. Stephani Templo) ferè à fundo diruit, & ipsam in septennio pretioso opere cum 2bus turribus à latere, quarum una jam sumptosissimè completa cernitur, & alterius jacta sunt fundamenta, reædificare proposuit. Prout hæc & alia palam de se facturum esse disseruit. Pro quibus Consummandis ex omnibus Provincijs famosos operarios accersivit. Quorum omnium Magistrum tandem in Neunburga Claustrali comperit virum miræ Industriæ in Architectonico opere, opibus inopem, sed ingenio clarum, cujus ingenium omnes Latomi ex imagine ipsius Ecclesiæ in stuporem vertuntur &c.* Consentit huic & alter antiquus pariter Autor In eadem Bibliot. Cæs. asservatus, quem & Lambecius in Comment. suis de Bibl. lib. 2. cap. 5. pag. 88. addu-

adducit. Albertus ſcilicet Bonſtetten, dum in hacte-nus inedita Hiſtoria Auſtriaca templi hujus mentionem ſequentibus facit. *Rudolphus Dux Auſtriæ Filius Alberti Ducis cognomine contracti, fundans Præpoſituram Wiennenſem, Eccleſiam eandem ampliavit, & Mediolani ſine liberis Anno M.CCC.LXV. obijt, ejúsq; oſſa apud S. Stephanum Wiennæ ſcpulta ſunt.* At pondus omnium graviſſimum ſententiæ meæ adijciunt Rudolphi ipſius literæ, quibus ſe inchoâſſe hanc novam templi fabricam apertè teſtatur. Omiſſis brevitatis causâ ceteris, earundem duntaxat initium ac finem fideliter reddo.

Wir Rudolff von Gottes Gnaden Phallenz Erzherzog ze Oeſterr. ze Steyr, und ze Kernden, Fürſt ze Swaben, und ze Elſazz, Herrr ze Krain, uf der Marich und ze Portnau, und des heiligen Römiſchen Richs obriſter Jegermaiſter, und Wir Cathrein von Beheim Tochtè des aller unüberwundneſten Herrn Carlen Römiſches Kayſers, und Kunges ze Beheim Gemachel des iezgen unſers hêtzen lieben Herzogen, Herzogin, Fürſtin, und Frau der obgenant landen, begern ze wizzen alle Chriſti gelaubigen, gegenwärtige, und künftige eweklich, die dieſen Brief ſechen, leſent, oder hören leſen; Seind Wir nach erkantnuz billichei donkbeer die Pfarrkirchen dez Sand Stephän ze Wien der lechen recht uns angehört, ze witren an der grundveſt ze graben, den erſten Slag mit unſer ſelbs henden getan haben, auff den ainliſten tag merzen von Chriſti Geburt in dem neuen und funffzi-

ſten

ſten Jahr, und darnach dez ſelben Jares auf den ſibenden tag in April den ernſten Stain der Grundveſt mit ganzer begürd daſelbs gelait haben, da ze gegen geweſen iſt mit grozz andacht und demuttekait alle Pfaphait und gemein unſ. Stat ze Wienn, und die gemein der Herren unſr. landen, &c. Finit verò præfatus Dux in hunc modum has literas ſuas.

Haben Wir diſen brieff haizzen verſigln, der geben iſt ze Wienn am nächſten Fritag vor Sand Margareten tag nach Xſti Geburt Dreutzehen hundert Jaren, darnach in dem neun und funſtkiſten jar, da die Indiction warn Zwelif unſers des egn. Herzog Rud. alters in den Zwainztiſten, und unſers gewaltes in dem erſten jar.

Quis hìc tanti Principis teſtimonio convictus non videt, Autorem primum tam ſumptuoſæ molis fuiſſe Rudolphum. Certè ad quid ad effodiendam, ùt ipſe fatetur terram manum ipſe ſuam adhibuit? ad quid primum lapidem jecit? ſi nihil illi, niſi inchoata jam à Parente turris perficienda, injectique ædificio fornices altiùs educendi ſuperfuerant? Ampliavit igitur hanc Divo Stephano Sacram ædem, id eſt, ùt Haslbachius jam citatus inſinuat veteri anguſtiori diruta, hanc tàm magnificam, tàm ſumptuoſam molem, quam hodiedum cernimus, vel erexit ipſe, vel quod probabilius videtur magna jam ſui parte à ſe conſtructam ſucceſſoribus ſuis perficiendam reliquit.

TI-

TITULUS IV.

De ijs, qui inchoatum à Rudolpho templi hujus ædificium continuârunt, déque Ejusdem forma, & magnitudine.

A Rudolpho tanti laboris, quod moliebatur, opus ad ultimam manum perduci haud potuiſſe, tanquam veritati id magis congrueret, ſuperiori titulo inſinuaveram. Neque id mirum (ùt opinor) rerum prudentibus videbitur, qui, quàm lenta manu promoveantur duratura non in unum ſeculum ædificia, vel ſuo uſu, vel aliorum experimento didicêre. Certè, cùm ex ipſis Rudolphi literis paulò ſuperiùs citatis manifeſtum ſit: Annum Milleſimum tercenteſimum quinquageſimum nonum & initi à ſe Principatûs, & cæptæ tàm auguſtæ Fabricæ primum fuiſſe; Exceſſiſſe verò è vivis illum jàm Anno Milleſimo tercenteſimo ſexageſimo quinto referant melioris famæ ſcriptores omnes. Quis credat tam brevi ſex annorum ſpatio, quod interceſſerat, abſolvi hanc ingentis molis, pretiíque ſtructuram potuiſſe? Alij igitur in partem quoque tam præclari operis advocandi ſunt: Sed & de his ipſis, qui fuerint, altum apud omnes ſilentium. Ita nimirum, vel nonnullorum incuriâ, quorum hæc aſſervare intererat, vel certè iniquitate temporum rerum harum memoria intercidit, ut poſt irritos conatus plurimos, ſuſceptóſque labores certi quod ſtatuerem reperire omnino fuerit nihil. Quod ſi arbitrari licet, geminos Fratres Albertum, & Leopoldum, qui demortuo Rudolpho res Auſtriacas adminiſtrarunt, minimè pijs ejus conatibus, votiſque defuiſſe cenſeo, quin Fraternæ pietatis exemplo excitati futurum deinceps Auſtriacæ Religionis monumentum hoc perenne, omni qua poterant, induſtriâ, voluntate, opibus promoverint. Reliquiſſe tamen & hos ipſos ſucceſſori-

bus ſuis partem aliquam inſignis hujus, non minùs operis, quàm gloriæ in M. S. ad S. Stephani ſuperiùs jam citatis reperio, quod & M. S. Tabularij Senatûs Civici confirmant. dum utraque memorant, gemina ſacella, quorum unum B. Virginis, duodecim Apoſtolorum alterum honoribus initiatum eſt, à Mathia Rege Hungariæ poſt occupatam Anno M. CCCC. LXXXV. Viennam, tum & à Friderico Imperatore hujus nominis tertio conſtructa fuiſſe. Adjecerunt ſucceſſu temporis alij quoque ornamenta non pauca, dum in eam tandem Majeſtatem, formámque, qua hodiedum eſt Auguſta hæc Baſilica excrevit, quam accuratione ſumma deſcriptam hìc exhibeo.


Moles tota è quadratis exſurgit ſaxis ad regulam cæſis ac lævigatis, tantóque artificio, támque arcto inter ſe nexu commiſſis, ut nihil ad ſpeciem elegantiùs, neque ad plurium ſimul ſeculorum ferendam ætatem firmiùs hæc noſtra exhibere tempora videantur. Tota illius longitudo in 57. orgiarum ſpatium protenditur, uti ex accuratiſſima delineatione, ſingulari benevolentia Perilluſtris Domini Hauer conſulis modò digniſſimi. atque mei inſignis, dum hæc ſcriberem, fautoris, ad me transmiſſa advertere licuit, quam & ipſam hìc in minorem formam redactam exhibeo. Latitudo illius maxima, quà turres geminæ à ſe invicem diſtant, orgias complectitur Viennenſes propè 37. quà verò per portam principem omniúmque maximam ad ipſum templum aditus patet orgias 24. hanc tam inſolitæ magnitudinis ſtructuram afforis exornant veteri quidem labore, ad omnem tamen elegentiam è lapidibus artifice manu exciſæ ferarum, monſtrorúmque variæ ſpecies; tum Divorum, Principúmque frequentes imagines, eductusque vel Pyramidum in formam, vel in cuſpidatos arcus Gothico more inflexus ſcalpri non invenuſtus labor ipſa antiquitatis ſuæ ſpecie venerationem quandam, Majeſtatémque concilians. Atque nè præter decorem ad tanti operis quoque firmitatem deſi-

desideretur aliquid, totam molem complura undique fulcra, quæ Anterides, sive erismata ab Architectonicis vocantur, continent, nec illa quidem rudi labore constructa, sed varijs sculpturæ artificijs discriminata, donec ultra tecti crepidinem haud modicùm protensa, in turriculæ non inelegantis formam desinunt.

Hoc ita insigniter instructum ædificium, quod in 13. orgiarum ac $\frac{1}{2}$ pedis altitudinem è pleno assurgit, è lapide affabrè elaborata undique ambulacra coronant, inter quæ geminum nec augustum minùs tectum eminet. Primum quod à Principe templi porta versus majorem turrim protenditur altitudine sua orgias 17. pedes 3. & $\frac{1}{2}$ Viennenses continet. Alterum, quod versus Aram summam reliquæ fabricæ parti incumbit altitudinem suam orgijs 11. & pede uno definit. Primum à Rudolpho IV. Templi hujus Autore, alterum à Friderico Imperatore hujus nominis 3tio impositum esse è M. S. ad S. Stephani asservatis reperio; utrumque dignum suo Principe opus, & præcipùe primum, quod hamatis, ùt, dicere solemus, instructum tegulis, illisque vario colore, rubro scilicet, viridi, atque albo pictis, vitriatisque, jucundum sanè intuentium oculis, incidentibûs maximè solis radijs spectaculum præbet. Ad hoc Cochlea (scalæ Cochlides ab alijs fors dici solent) præclari operis atque in 134. gradus distincta educit, à qua dein per sex distinctas scalas ad summitatem tecti ascensus est. In minori huicque contiguo tecto unica quidem scala reperitur, sed quæ omnium facilè per Austriam maxima creditur à pluribus, 50. enim transversis lignis, seu tot gradibus, quorum quodlibet majoris, veterisque Geometrici pedis distantiâ ab alio sejungitur, viam ad supremum tecti ambitum præbet. Nè verò tanta moles tot tignis variè connexis ac compaginatis plena, indefensa ab incendiorum sæpiùs enascentium periculo relinqueretur, providâ curâ 18. per diversas gemini hujus tecti partes vasa cuprea disposita cernuntur, tantæ magnitudinis,

ut 293. facilè aquæ urnas capiant. Aſſervari præterea ſub hoc tecto Aquilam audio, 3. propè pedibus altam, quæ, ùt teſtatur D. Doctor Paulus de Sorbait in Catalogo Rectorum Viennenſium Anno 1670. à ſe typis vulgato, internè rotatili opere, atque ad horologij artificium compoſito à quodam Joanne Marbig inſtructa, ex turri hujus templi dirigente artifice ad portam usque cœmeterij Rudolphlo ſecundo obviam volavit, cùm is Anno 1575. in Regem Romanorum electus, coronatúsque Ratisbonæ eſſet, ac dein ſolenni in hanc urbem pompâ inductus ſacram D. Stephani ædem ſubiret. Verùm prætermiſſis his luſtratáque jam ſatis & tecti ipſius, & externæ fabricæ inſigni formâ, ad interiorem quoque ſacræ hujus Baſilicæ ſtructuram accuratiùs deſcribendam accedo. Spectandas ſe ſe offerunt primùm ſubeuntium oculis per medium templi bino ordine collocatæ quadrangulares pilæ, in ingentem altitudinem aſſurgentes, è ſolido lapide omnes, Divorúmque pluribus ſtatuis, im̃inentibúsq; deſuper Gothico labore conſtructis turriculis exornatæ. His innituntur altiſſimi fornices, qui arcu ſuo 14. orgias & 4. pedes in medio facilè complectuntur. Vitium iſti ætate ac pondere ſuo tandem fecerant, propéque ruinas minabantur, quare Anno 1574. decuſsis illis novo ſumptu alij inducti ſunt à Georgio Schueler, & Joanne Saphoy, hoc Templi hujus tunc ædili, latomo altero. Non diſſimilis quidem à prioribus formæ, firmiores tamen, atque ad ſeculorum etiam ferendam ætatem apti. Nec lateralibus etiam muris ornamenta ſua deſunt, undique nempe columnis, parte tantùm ſui aliqua prominentibus (parietinas Architectonicæ periti vocant) inſtructi ſunt, quæ & ſitu ipſo, & Imaginum, Capitelarum Epiſtyliorúmque elegantiâ majoribus pilis in medio erectis apprimè reſpondent. Pari ſcalpri artificio ad ſummum decorem, & chorus maximus, qui è ſolido lapide conſtructus Principi Templi portæ vaſtiſſima mole imminet, & lapidea Cathedra tertiæ ab

ingreſ-



36
32
33
29
27
28
26
25
24
23
22
37
18
17
16
14
20
21
11
12
13
38
10
7
8
4
3
2
1
5

ingreſſu pilæ innitens exornantur. Pavimentum præterea totum rubri, albíque marmoris tabulæ eleganter conſternunt, feneſtræ quoque altiſſimæ more veteri pictis è vitro tabulis, hiſtorias ſacras, profanáſque exhibent, quæ dum obſcuritatem quidem aliquam Templo conciliant, ſacram tamen ſimul antiquitatis venerationem pio populo affundunt. Atque hæc de ſtructura ipſa dicta ſufficiant, plura ſiquidem recenſendi Auguſtæ hujus Baſilicæ ornamenta ſubſequi dein tituli materiam præbebunt.

1. Princeps Templi porta, vulgo Gigantea dicta.
2. Gradus ad Chorum maximum.
3. Loca aſſervandæ ceræ deſtinata.
4. Sacellum commune.
5. Locus Baptismi.
6. Sacellum Crucifixi.
7. Porta Cantorum dicta.
8. Sepulchrum Nidardi.
9. Porta Sacriſtiæ.
10. Cathedra.
11. Sacriſtia magna.
12. Gradus ad Oratorium Epiſcopale.
13. Gradus ad Sacriſtiam ſuperiorem.
14. Ingreſſus ad turrim majorem.
15. Turris maxima.
16. Sacellum S. Catharinæ.
17. Ingreſſus turris imperfectæ.
18. Turris imperfecta.
19. Sacellum S. Barbaræ.
20. Gradus ad Organum minus.
21. Gradus ad Organum maximum.
22. Gradus ad Oratorium Cæſareum.
23. Gradus ad Chorum Muſicorum.
24. Columnæ quibus innititur Oratorium Cæſareum.
25. Columnæ quibus innititur Chorus Muſicorum.
26. Aſcenſus ad Campanam maximam in turri imperfecta.

27. Habitatio illius, cui Cura turrium commissa est.
28. Ascensus ad turrim maximam.
29. Sepulchrnm Imperatoris Friderici III.
30. Ara Magna Crucifixi.
31. Ara Magna B. Virginis.
32. Ara summa Templi.
33. Thesaurarium Sacrum.
34. Sacristia Episcopalis.
35. Puncta per modum lineæ ad muros Principales ducta indicant spatium, quo isti à fundamenti, substructionúmque latitudine contrahuntur & recedunt.
36. Cæmeterium.
37. Vespilonis habitatio.
38. Columna in Cæmeterio erecta.

TITULUS V.

De Turri Maxima S. Stephani.

TUrrim hanc per Europam omnem, si non altitudine, firmitate certè sua reliquis præstantem à Rudolpho IV. Anno 1359. unà cum Templi hujus fabrica inchoatam esse, abundè, ùt opinor, titulo 3tiô ex Haslbachij, aliorúmque testimonijs ibidem citatis ostensum est: quibus geminus Recentium nonnullorum Autorum error facilè refellitur, qui vel jacta illius initia ab Alberto III. vel à Rudolpho quidem, sed jam Anno 1344. fuisse, referunt, quo tempore Rudolphus vix quintum ætatis annum exegit, ùt ex literis ipsius Archi-Ducis titulo 3. à me adductis manifestum est. Artifices, structorésque molis hujus binos reperio à scriptoribus recenseri, nempe Georgium Hauser, & Antonium Pilgraben, verùm cui ex his cæpti operis, cui ad apicen perducti gloria debeatur, discors planè eorum mens est, atque opinio. Ego, ut sincerè fatear, duplici ratione adductus, primum, qui manum tanto operi

operi admovit Georgium Hauſer ſtatuerem, tum quòd M. S. ad S. Stephani Antonium Pilgraben Anno 1400. turrim hanc ad verticem perduxiſſe memorent, tum, quia geminam turris hujus delineationem antiquæ membranæ inſcriptam in Tabulario Senatus Civici reperiam, quarum una planum, frontem altera, ultra medium eductæ accuratè exhibet, illísque nomen Georgij Hauſer adjectum hisce ſignis G. ⸸ H. conſpexerim: Quod quidem conjecturam facit, primi eum Autoris, non poſtremi laborem eſſe; credibile námque vix videtur, imperfectæ ac parum ultra medium eductæ turris frontem eum deſcripturum, ac omiſſo ſuo alterius Artificis inſignem ſtructuram exhibiturum fuiſſe, ſi manum ipſe ultimam eidem impoſuiſſet. Obſtare tamen videtur Haslbachij antiqui ſcriptoris Autoritas, qui primum Templi ac turris hujus Architectum ex Neunburga Clauſtrali (ut verbis illius ſuperiùs citatis utar) advocatum à Rudolpho aſſerit; cùm Autores alij hunc Georgium Hauſer de Freyberg, alij ex Friburgo dicant. Occurri quidem & huic difficultati ſine negotio poſſet, quid enim proniùs, quàm ut idem Friburgenſis audiat, quòd ibidem in lucem hanc natus ſit, & Clauſtro Neoburgi Viennam advocatus dicatur, qui mutato Patriæ ſolo per annos fortaſſis aliquos ibidem artificij, laboríſque exercendi causâ eſt moratus. Quin imò, quàm facilè accidere potuit, ut hujus Georgij Hauſer nomen à ſcriptoribus cum illius Gregorij Hauſer confunderetur, cujus Cuſpinianus in Auſtria ſua pag. 66. meminit, quique Templi ejusdem ædilis fuit, atque circa annum Domini 1519. vixit, ùt ſequentibus articulis fuſiùs exhibebitur. Verùm rem hanc omnem judicio potiùs Lectorum permittere placuit, quàm pro verò id affirmare, quod certis omnino indicijs deprehendere hactenus non licuit. Nec illud mirum videri debet, duos à nobis tanti támque laborioſi operis Architectos ſtatui, exigere id merito

ritò potuit insignîs adeò molis arduíque laboris fabrica per 40. & ampliùs annos continuata, quam nempè Anno 1359. Rudolphus IV. inchoavit, Albertus III. summo templi fastigio æquavit, Albertus IV. Anno 1400. ad apicem summum, finémque perduxit. Celeri profectò operarum manu, si ab æquis Lectoribus & annorum, & laboris tàm difficilis simul ratio ineatur. Nihil, ut de immensis sumptibus ad promovendam tantam, támque insolitam structuram necessarijs, tempore, ùt tunc fuerat, pecuniariæ plurimùm rei egente dicam, quos tantos fuisse Bosniensium olim Legati teste Ænea Sylvio æstimârunt, *ut pluris turrim hanc constitisse dicerent, quàm Regnum Bosniæ venundari possit.* Sed non unius Viennæ sumptibus hoc opus stetit, contulêre ad ædificium non exiguam pecuniæ summam Provinciæ, quarum supra turris hujus portam affixa etiamnum insignia hæc videntur: Scilicet Austriæ utriusque, quarum inferiorem unam, alteram supra Anisi fluvij ripas positam dicimus, Styriæ dein, ac Archi-Ducum Austriæ Gentilitia arma. Promovit quoque eximium laborem temporum eorum fertilitas, atque facile rerum omnium pretium. Non enim in dies Latomis nisi 5. asses seu nummi minimi. Operis verò ceteris tres duntaxat pendebantur, quo factum, ut moles hæc ita celeriter exsurgeret, ad quam moderno tempore ne Regij quidem sumptus sufficerent. Exhibui eam accuratè in præfixa libello imagine. Hìc ejusdem altitudinem, & si quæ alia memoranda veniunt, quæ sculptoris manu effingi non poterant subnecto.

Altitudinem hujus turris descriptam reperio à Cuspiniano in Austria sua fol. 66. his verbis: *In altitudine à terra usque ad coronam, qua circuitur ducentos pedes, & aliquot juxta mensuram, ùt Calcei sive pedes secundùm lapicidas mensurantur ac à Mathematicis: à Corona autem usque ad summitatem cacuminis, ducentos calceos aut pedes, & decem, quod in summa facit quadringentos & octua-*

octuaginta calceos, ut sæpe, qui ascendit, & descendit insignis lapicida hujus Templi Architectus Magister Gregorius Hauser ex Friburgo mensuravit. Superat hanc turrim in altitudine turris Argentinensis octo & decem pedes circiter. Verùm quia hæc ipsa descriptio magna sui parte manca, & obscura est; aliam meliorem subnecto, quam Nicolaus Ressytko ex Silesia oriundus 14. Septembr. Anno 1686. cùm depositâ stellâ crucem imponeret accuratè confecit. Habetur hæc in M.S. Germanicis ad S. Stephani è quibus excerpsi ùt sequitur: à summitate Crucis usque ad Globum, seu nodum deauratum pedes 7. globus hic ipse in partes novem seu tot folia, quorum singula latitudine sua pedem 1. & ½ explent, dividitur, altúsque est pedes 5. latus totidem, dicitúrque octo facilè metretas tritici, aut sex vini urnas capere. Rursus ab hoc usque ad rosam pedes 6. ½ mensurantur, crassitudine sua hæc rosa 3. facilè & ½. pedes æquat. Foliorum in extremos cuspides desinentium distantia est pedum 14. prostántque à turris ædificio reliquo anguli isti pedibus 3. pollicibus 5. totus verò rosæ hujus ambitus 58. pedes complectitur. Ita ut in qualibet quadrati hujus parte commodè sedere possint 4. viri atque ita universim homines sedecim. Hinc à Rosa ipsa ad prostantiam coronæ pedes numerantur 4. Corona verò ipsa in angulos 8. divisa, pedes singulis suis partibus 4, universim 32. absolvit. Reliqua turris hujus moles pedibus omnino ad terram usque 422. facilè absolvitur, atque ita universa machina pedibus à plano usque ad Crucis ipsius summitatem 447½. orgijs verò 74. cum 3. & ½. pede; dempta verò crucis hujus altitudine orgijs 73. & ampliùs constat. Tanta, támque insignis structura 4. ingentibus pilis seu columnis innititur, totáque quadratis surgit è lapidibus, quorum quilibet alteri ferreis 5. uncis arctissimè connectitur. Exornant eam undique ferarum facies, Divorum, aliorúmque imagines, pyramidatæ turriculæ, arcus rosis suis, lemniscísque di-

 stincti,

ſtincti, veteríſque ſculpturæ artificia varia, quæ hodiedum Architectonicæ peritiſſimis quibúſque admirationem movent, ſtuporémque incutiunt. Nec illud prætereundum: Opus hoc totum per tot ſculpturæ labores, usque ad ſummum ferè apicem & ventis eſſe, & luci pervium: ex quo fieri exiſtimo, quòd pacatô aliàs, transquillóque etiam cælo templi hujus vicinam regionem frequentiores ventorum turbines impetant: commotior námque cùm in edito ſemper aura ſit, poſtquam ea ſuperiùs per turris hujus anguſtiores aditus recepta ſemel, atque concluſa eſt, majori dein vi in ſubjecta undique ædium tecta patenti inferiùs via, exitúque prorumpit. Multa tamen & ab his ipſis ventorum, tempeſtatúmque injurijs firmiſſima ùt ùt ceteroquin hæc fabrica perpeſſa eſt, accedentibûs maximè crebrioribus terræ ſuccuſſionibus fulminúmque non raró in eam igne, impetúque ſæviente, ita ut apex culménque ipſum, quod jam mole ſua laboraverat, periculoſam templo vicinisque ædibus ruinam minaretur. Non defuit tamen præclara artificum induſtria, quæ tanto malo maturè occurrit, út Cuſpinianus in Auſtria ſua fol. 66. his verbis recenſet: *Minabatur hæc turris ruinam; nam apex cacuminis ſeſe flectebat ictus fulmine ſæpius. Et licèt multi Magiſtri accerſerentur, ùt conſulerent, quo pacto ſubveniretur tanto malo, nullus tamen repertus eſt ex tot Architectis, qui accerſebantur, qui tale ingenium invenirent, quale Leonardus Hauſer ex valle Circo olim Maximiliani venator, & Capitaneus peditum nobilis, qui unà cum Gregorio Hauſer prædicto lapicida & Architecto templi turrim ſcandentes, ſecto lapide in particulas, cacumen absque omni periculo demiſerunt, & partem poſt partem ſinè jactura templi S. Stephani in terram demiſerunt, & absque periculo; & id quidem paucis diebus. Lapicidæ hujus templi paulatim lapides turris tempeſtate & igne combuſtos refecerunt, & paucis annis in eam faciem, ùt olim fuit, reædificarunt. Præcipuus autem labor erat in rectificando longo & quadrato ferramento,*

quod

quod cacumen ferebat. sed & illud sine periculo per ignem in turri ipsa est ad æquilibrium rectificatum idque in XII. annos circiter. Magnus hereclè labor & incredibilis. Confirmat id ipsumTabula ahenea turris apici paulò infra nodum affixa, quam Leopoldus I piæ memoriæ Imperator Augustissimus, cùm nova Crux in depositæ stellæ locum erigeretur, deponi atque sibi exhiberi voluit, móxque iterum in priorem locum restitui. Scripturam illa sequentem scalpro incisam continet.

Anno Domini 1514. Mense Majo Imp. Cæs. Maximiliano Augusto Austriæ Archi-Duce adsentiente, Senatúque Viennensi Curante huic turri Coronis ruinæ metu, summâ industriâ dempta, ipsáque pyramide, qua deficiebat, resectâ Anno demum 1519. Mense Julio reposita est, ad cujus 4tum Calendas in Maximiliani locum, qui pridie Idus Januarij ejusdem Anni decesserat, Carolus Hyspaniarum Rex Catholicus legitima electione Rom. Imperij fastigium conscendit, orbi, ac cum Fratre Ferdinando Austriæ Imperans feliciter, &c.

Hans Dyring Goss mich.

Verùm non ita reparari ea tunc damna poterant, ut non hæc turris vitium rursus post aliquot annos faceret: Uti Ortelius in Chron. suo Hungarico ad annum 1590. testatur. Tanto impetu nempe 5. Septembr. anni ejusdem terra succussa est, ut præter ingentia damna Bohemiæ, Moravíæque illata, Viennæ ædes complures motu suo everterit, turrímque S. Stephani propè in ruinam, flexis non nihil ferramentis, quæ apicem sustinent, inclinaverit. Hinc rursus Architectorum in ea emendanda plurimùm industria desudavit, quorum consilio ingentis molis nodus è lapide excisus, nè sæpiùs

piùs deinceps pondere ſuo cetero ædificio obſiceret, magna ex parte dejectus, illíque è cupro affabrè elaboratus alter, auróque inductus, ùt hodiedum videtur, circumdatus eſt. Paulò infra ejusdem turris ſummum apicem ceruorum uno alteróvè in loco cornua proſtant, in ſignum, ùt creditur, quòd ante conſtructam hanc urbem, non niſi ferarum luſtra, paucáque venatorum mapalia hìc loci extiterint. Per reliquam verò ſuperiorem partem, ubi in octogonum tota machina coit, ſculpturæ artificio elaborati nodi complures undique apparent, qui 4. circiter inter ſe pedum intervallo diſtant, à reliqua verò fabrica pedibûs prominent 3. ſequitur hinc in deſcenſu ambulacrum per modum coronæ totam inferiorem ſtructuram ambiens, quod 12. ingentes, affabréque elaboratæ pyramides, harum verò quamlibet impoſitus ex orichalcho, auróque inductus nodus exornat. Infra has horologium cernitur, per omnes 4. turris partes diei horas indicans, ſuámque ob ſolam magnitudinem memoratu digniſſimum. Tabulæ exteriores altæ ſunt pedes 12. pollices 5. latæ vero pedes 11. pollices 3. Index longitudine ſua 6. pedes explet, cor verò in quod deſinit, cujúsque cuſpis horas exhibet, pedes 2. & pollices 6. latitudine veró pedes duos; altera rurſus indicis pars, ſeu luna transverſa altitudine ſua pedem 1. pollices 6. latitudine pedem 1. conficit. Horarum denique numeri ipſi tanti ſunt, ut quilibet 2. facilè pedes adæquet. Pluribus annis ſine omni horologio hanc turrim fuiſſe, certum eſt, at quo anno hoc tandem conſtructum, turríque impoſitum ſit, id omnino dubium ob diverſos quos adſcriptos invenio numeros ſcilicet 1580. & 1632. è quibus priorem numerum Anni illius credo, quo primùm factum, ſecundum verò numerum illius anni, quo rurſus reparatum eſt, tempore nempe Danielis Moſer tunc temporis Conſulis Viennenſis, cujus nomen unâ cum adjecto Anno 1632. arcæ illi inſcriptum video, quæ interioris horologij artificium claudit.

dit. Infra hoc horologium verſus eum locum, quem vulgò Stock am eiſen dicimus Tabula videtur alia lapidea, arma gentilitia Auſtriacorum referens: Proxima verò huic tabulæ feneſtra eſt, ſupra quam tectulum hamatis tegulis obductum prominet, hoc loco memorandum, quòd altiſſimum tectum tota hac in urbe Viennenſi eſſe dicatur. Nè verò in tam ſumptuoſo ædificio conſervando debita cura deſideretur duo perpetuò in ea vigiles excubant, quorum habitationi duo horologio ſubjecta cubicula cum culina deſerviunt, adjectum quoque ijs veſtibulum eſt, in quo advenæ, aliíque, qui turrim conſcendunt, conorum ſeu pyramidum ùt vulgò dicimus, luſu recreare ſe ſolent. Cuſtodibus his incumbit, ſæpiùs de die turrim circuire, atque vigilare, ne vitium ſtructura faciat damnúmque patiatur. Noctu denique per horæ quadrantes ſingulos in vigilantiæ ſignum vocem ex turri jubentur edere, gravi ſtatutâ pœnâ, ſi alicujus negligentiæ id culpâ omittatur. Si verò in urbe reliqua incendium ſuboriatur, dato ære campano ad convocandum populum ſigno de die vexillum, noctu lucernam cum ardenti candela in eam urbis regionem exponunt, in quam ignis, flamæque deſæviunt. Turri quoque huic, ut ab incendij periculis cautum ſit, in tertio, quem ſuſtinet, fornice 4. cuprea ingentia vaſa ſunt poſita, quæ univerſim 48. facilè aquæ urnas continent. Plura de tam miro opere recenſere præfixa brevitas vetat, illud unum adijciendum cenſeo, eos, quibus conſcendendi turris curioſus eſt animus, per 553. primùm gradus è lapide non ineleganter exciſos, dein per ſex ſcalas ligneas, quæ univerſim gradus rurſum 200. conficiunt ad eum usque locum, quousque via acceſſúsque patet deduci: Ubi in memoriam plurimi nomina ſua inſcribere conſueverunt.

TI-

TITULUS VI.

De Stella, Cruce, ac Aquila turri imposita, tum & de Campanis, quæ ibidem visuntur.

EJusdem turris è summo vertice, è quo Romanæ hodie & Religionis, & Imperij signa victricia eminent, paucis ab hinc annis Barbaræ gentis tristissimum sidus, implexa scilicet ingentis stellæ radijs Ottomanica luna refulsit. Fama est Solimanum II. Turcarum Sultanum, cùm ingenti exercitu hanc urbem nostram Anno 1529. quamvis incassum obsideret, id in sui memoriam petijsse, ut turri, cui ob magnitudinem suam, singularísque artificij pretium, insolitâ Barbaris aliàs indulgentiâ pepercerat, gentis suæ insignia ad Provinciarum nostrarum terrorem ignominiámque imponerentur. Verùm cùm neque ex inscriptionibus huic ipsi stellæ incisis minimum, quod ad firmandam hanc opinionem faceret, indicium deprehendatur, neque hæc ipsa insignia ante annum 1591. turri imposita fuisse constet, quo tempore Solimani jam dudum propè memoria metusque interijt; dubia meritò ac suspecta videri hæc fama potest. Ut ùt nihil ominus fuerit, non tulit Leopoldi I. Cæsaris pientissimi religio, ut in orbis Christiani propugnaculo fortissimo, Cæsarúmque Austriacorum Principe urbe fœdissimæ sectæ infamia diutiùs signa fulgerent. Liberatâ namque rursum Anno 1683. Viennâ, quam Primus Turcarum Visirius Mustapha Carà arctissima obsidione cinxerat, pulsísque inde à Joanne III. Polonorum Rege, atque à Carolo V. Lotharingiæ Duce Cæsarei exercitûs Archistratego fortissimo, ducentis & ampliùs hostium millibus, cùm triumphabundus Cæsar urbem hanc primùm, tum & Divi Stephani ædem victor ipso festo exaltatæ Crucis die subiret, ut de obtenta tàm insigni victoria Deo grates persolveret; ab Emerico urbis hujus Episcopo de

de concepto jam Lincij voto admonitus; Jussit, ut deturbatâ lunâ Crucis sanctissimæ trophæum turris in apice statuererur. Obtullêre se quidem ad tam difficilem laborem suscipiendum non pauci, sed qui periculi metum majoris, quàm par erat, atque exhaustum tanto bello Cæsaris ærarium ferre poterat, æstimantes admissi non fuerant, perficiendæque rei negotium tàm diu dilatum est, donec tandem in Silesia artifex insignis Nicolaus Ressytko ætatis suæ annum jam propè quinquagesimum 6tum emensus repertus est, qui post pactum 1000. florenorum præmium Anno tandem 1686. 12. die Julij turrim exteriùs per 10. scalas ligneas, quarum singulas humeris ipse suis per inferiores funibûs jam firmatas gestabat, ad Rosam usque feliciter conscendit, nullo alio laboris admisso socio præter duos filios, quorum unus 21. alter 19. ætatis annum agebat. 15. ejusdem mensis die, ubi manè ultimam scalam, quæ supra turris supremum globum longè eminebat, firmâsset, lignáque erexisset ad stellam deponendam opportuna, à meridie vexillo ex nigro flavescente instructus unà cum duobus suis filijs rursus turrim conscendit velocitatéque summa stellam cum luna ex illius vertice ad subjectam rosam demisit, è qua dein circa horam 7mam in Templum atque hinc in domum Comitis Leopoldi de Kollonitsch delata, sequentíque luce Cæsari Leopoldo ac populo frequenti exhibita fuerat. Stella hæc orichalcho non ineleganter elaborata, multóque auro inducta desinit in 8. cuspides seu radios, quorum è centro singuli in pedis unius & 10. pollicum longitudinem protenduntur, distántque inter se pede uno, pollicibus 3. altitudo totius stellæ 3. pedibus, pollicibus 8. definitur. Stellam hanc à medijs duobus radijs luna ambit semicirculo suo 6. pedes $7\frac{1}{2}$. pollices absolvens. Fulcrum cui stella innititur à turris globo ipso usque ad stellæ partem extimam erigebatur in pedem unum, & pollices 4. ut tota igitur stellæ hujus, quà è turri eminebat, altitudo

5. pedes

5. pedes complecteretur; ponderabat verò unà cum dicto pede seu fulcro libras 95. Delata subinde hæc stella est ad Martinum Lerch Chalcographum, à quo lunæ incisa manus est inter priores duos digitos pollicem arctè comprimens cum adjecta hac Syngraphe: Hæc Solimane memoria tua, uti hodiedum eam videre est in Armamentario Civico, inquo asservatur. Pedem Crucis duo ambiebant circuli pariter ex aurichalcho: In primo ac superiore hæc incisa legebantur. Dum spiro, spero. Valentinus Sebaldt, in medio hujus annuli scutum est leonis currentis speciem exhibens, cum adjecto numero Anni 1591. quo nempe stella hæc turri imposita fuerat. Inferior annulus hæc refert. Wolff Eglauer. Spes mea Xtus ætatis 24. Anno 91. 31. Julij. Hoc tàm arduo in demenda luna peracto labore, tota comitis Leopoldi de Kollonitsch paulò post in purpuratorum Ecclesiæ Principum senatum ab Innocentio XI. adlecti cura studiúmque in illud incumbebat, ut celeri manu destinatæ crucis opus perficeretur; quod & eodem adhuc Anno Joannes Adamus Posch artifex absolvit, auro verò induxit Emanuel Pauhoff. In turris denique supremo fastigio locavit idem, qui lunam deposuit Nicolaus Ressytko 14. scilicet Septembr. ipso exaltatæ Crucis festa in luce. Crux tota è cupro in earum formam quas Hispanicas vulgò dicimus elaborata est.

Altitudo dempto fulcro ac basi cui insistit in pedes exsurrexit 5. latitudo verò in medium pedem distendebatur; transversæ crucis pars superior pedes tres inferior totidem cum 5. pollicibus complectebatur. Fulcrum verò reliquam molem ferens in pedes 2. erectum est, ut tota Crucis altitudo in 7. omnino pedes excreverit. Inscripta illi fuisse sequentia invenio, nempe Crucis ipsius vertici. J. N. R. J. 4. transversarum linearum angulis verò has 4. voces: In hoc Si-

gno

gno vinces. Interpositis in medio IHS. & MRA. nominibus. Hinc rursus usque ad Crucis basim sequentes duæ inscriptiones legebantur: Nempe à dexteris: Luna deposita, & Crux exaltata Anno (quo capta est Buda à Christianis) M. DC. LXXXVI. ad lævam verò: Vienna à Turcis obsessa die 14. Julij Anno 1683. & 12. 7bris regnante Imperatore Leopoldo I. liberata: Ex altera parte in Crucis apice, lateraliúmque partium angulis hæc chalcographi manus verba inscripsit: In te domine speravi non confundar in æternum. Inde verò ad Crucis finem geminæ inscriptiones aliæ videbantur, scilicet à dextris: LVnæ LoCò AVgVsto Cæsare LeopoLDo sIgno CrVCIs VICtæ, atqVe eX tVrrI sanCtI stephanI 15. IVLII posItæ CrVX Ista ereCta & eXaLtata est. Ad sinistram verò. ConsVLe sIMone stephano sChVester, ConsILIarIo, & InCLIto senatV CIVItatIs VIennensIs. Fulcrum quoque Crucis hujus geminis annulis cingebatur, in quorum primo sequens inscriptio: Defendit Civitatem contra Turcas Anno M. DC. LXXXIII. Excellentissimus Dominus Ernestus Rudiger Comes à Starenberg Generalis Campi Mareschallus, & Commendans Viennæ. Ex benigno Mandato Cæsareo & Cura Illustrissimi Domini Leopoldi Comitis à Kollonitsch Episcopi Jaurinensis, qui obsidioni interfuit, turri huic Crux imposita.

Stetit hæc sacra moles 2000. propè florenis, ponderabátque 81¼. libras, cum pede verò seu basi juncta

III. & mediam. At verò ipso hoc tàm grandi ponderi suo, firmitatíque, quæ ventis, omnem in partem ingruentibus obluctabatur, ruinam suam prmaturam debuit; post tres enim menses à die, quo turri imponebatur, ingens eam rursus turbo die 14. Decembris ejusdem Anni demolitus est. Hinc varius multorum labor, Studiúmque fuit, ut eam rursus in formam Crux aptaretur, qua in omnem partem cedere facilis ventorum impetus eluderet. Sed præ ceteris omnibus ea Leopoldo Cæsari aptissima visa est, quam D. Ferdinandus Philippus à Radeck, ejusdem Consiliarius, templíque eo tempore præfectus invenit. Bicipitem ea Aquilam refert nativo suo colore pictam, nisi quòd alarum pennas aurum discriminet, ínque pectore ea insigne Austriacum rubro, albóque colore distinctum exhibeat, cui Leopoldi I. nomen hisce notis aureis L. I. inscriptum est. Unguibus illa hinc Imperij Sceptrum, inde ferrum gestat. Corpore verò reliquo assurgentem inter geminos vertices Crucem haud priori dissimilem sustinet. Elaborata machina hæc est Solido è cupro è montanis huc urbibus advecto ab Artifice Francisco Georgio Scheidler. Inscriptiones verò, quas priori Cruci insertas fuisse superiùs meminimus, easdem & huic Scalprô incîdit Martinus Lerch chalcographus, paucis duntaxat immutatis, quæ subnecto. In trunco scilicet inferiori Crucis expressa hæc sunt. Luna deposita & Crux exaltata, Anno, quo capta est Buda à Xstianis 1686. Aquila verò addita Anno 1687. In gladio verò, quem unguibus Aquila stringit sequentia leguntur: Defendit Civitatem hanc contra Turcas Anno 1683. Excellentissimus Dominus Ernestus Rudiger Comes à Starenberg Generalis Campi Mareschallus & Commendans Viennæ ex benigno Mandato Cæsa-

Cæſareo, & Cura Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini S. R. E. Cardinalis Leopoldi à Kolloniz Epiſcopi Jaurinenſis qui obſidioni interfuit, turri huic Aquila cum Cruce impoſita eſt. Sceptrum hæc inſculpta verba exhibet.

Lunæ locò ab Auguſto Cæſare Leopoldo Signo Crucis victæ atque ex turri S. Stephani 15. Julij poſitæ Crux iſta erecta eſt, & exaltata ſub Conſule Simone Stephano Schueſter Conſiliario, & Inclito Civitatis Viennenſis Senatu. Præfecto verò hujus Cathedralis Eccleſiæ Ferdinando Philippo à Radeck Cæſaris Conſiliario, inventore, in Vigilia OO. SS. erecta eſt, ab Auguſtiſſimo Cæſare Leopoldo Primo priùs approbata. Crux hæc unà cùm Aquila altitudine ſua 6. pedes & digitos 7. pondere verò 120 libras facilè æquat. In turris apice eam ſtatuit Georgius Kuchler Latomus Socio Michaële Kholl: Poſtquam pedem ipſum, ſeu fulcrum, quod deturbatâ à turbine Cruce priori multùm incurvatum fuerat, in ipſa turri, ope Fabri ſerrarij ignibus emollitum magno labore ad novum pondus ferendum adaptârunt. Atque hæc de ſtella, Crucibúsque geminis turri impoſitis dicta hactenus ſufficiant.

Ad præclarum nempe illud turris ornamentum calamus properat, quod voce ſua ac lingua perpetuis dein temporibus Turris hujus gloriam divulgabit. Æs nempe illud Campanum intelligo, quod ex machinis bellicis, æneíſque ùt vocamus fiſtulis Turcæ per tot bella ereptis glorioſæ memoriæ Imperator Auguſtiſſimus Joſephus Primus conflari, turríque imponi huic voluit. Seu altitudinem illius ſpectes, ſeu latitudinem 10. ultra pedes non nihil extenditur, ambitúque

toto seu circulo pedes 32. involuit præter digitos du-
os, quà verò linguæ ipsius crebris ictibus in vocem,
sonúmque animatur, crassitudo illius 9½. digitos faci-
lè æquat, ponderátque tota 354. Centenarios, lin-
gua verò (quæ 11. pedes & ½. longa est) Centenarios
13. libras 28. tignum quoque è quo pendet, quódque
cum ære hoc ipso movetur Centenarios 64. Ferrum
autem, tum quod in circulos actum tignum ferendo
tanto oneri destinatum ambit, tum quod ad impellen-
dam æneam hanc machinam quatuor in locis ad pedes
10. protenditur, Centenarios 82. libras propè totidem
conficit, ita ut universim hujus machinæ pondus,
quæ inter tigna firmissima utrímque erecta à 12. fa-
cilè hominibus movetur, Centenarios 524. cùm
libris 61. adæquet. Uti verò magnitudine sua,
ita & laboris artificio, elegentiáque ceteras facilè per
Europam Campanas omnes plurimùm superat. Ima-
gines Divorum, scuta atque insignia, inscriptiones
itidem in tres partes divisas exhibet. Et imò qui-
dem. Divi Josephi Imaginem tres pedes & duos di-
gitos altam, nubibúsque insistentem, inter quas Ge-
nij Mechanica diversa instrumenta gestantes apparent.
Infra hanc scutum eleganter elaboratum cernitur gemi-
na Bohemiæ, atque Hungariæ insignia referens cùm
subjecta hac inscriptione.

JOSEPHUS.
Rom. Imp. Semper Augustus.
Æream hanc molem
Munificentiæ suæ magnitudine
Haud indignam,
Ut
Ob tot tantásque Victorias
Ad gratias Numini secum agendas
Subjectos populos

Gran-

Grandi Sonitu excitaret,
Fieri
Albertinæque Turris
Ad Singulare decus
Isthuc attolli jussit.

2do loco posita sine labe conceptam exhibet Virginem duodecim stellarum Coronâ Caput incinctam, quæ orbi insistens, pedibus subjectum Serpentis Caput victoriæ in signum conterit. Subjectum & huic scutum perelegans Cæsaris, atque hæreditariarum Provinciarum insignia refert, cum addita quoque sequenti Inscriptione.

Deiparæ
Sine Originali labe conceptæ,
Josephi
Dei in terris Nutritij,
Leopoldi
Divi Marchionis,
Triadis Austriæ tutelaris
Sanctissimis, maximísque nominibus
Victricem tempestatum, fulminúmq; Machinam
Solenni ritu
Insignivit, Sacravit
Franciscus Ferdinandus ex Baron.
De Rumel S. R. I. Princeps
Episcopus Viennensis.

3tia paris magnitudinis ac formæ imago Divum Leopoldum Austriæ Marchionem refert, nubibus innixum, quas inter 5. Austriacæ alaudæ volitant. In subjecto scuto Austriacum insigne visitur, adjectáque ad lævam inscriptio:

Æræ Xstianæ
M. DCC. XI. Anno,
Quo Austriæ
Locum tenentem egit
Ferdinandus Carolus Comes à Welz.
Consulis,
Joannes Franciscus Benighoffer.
Æris Civici Custodis,
Joannes Sebastianus Höpffner à Brant.
Ædilis munus egit,
Georgius Altschaffer.

Ori verò vastissimo Campani æris hujus, quod corona affabrè elaborata ambit inscripta sunt sequentia.
Sævientis in Viennam Anno M. DC. LXXXIII.
Duósque post menses inde per Carolum Lotharingiæ Ducem,& fœderatos Principes Xstianos profligatæ Turciæ Captivum fulminantium Machinarum æs in grande hoc Divini cultûs instrumentum ter cIɔɔ. ad plurium libr. Fusoria arte feliciter mutavit Joannes Achamer Cæsareæ Rei tormentariæ fusor.

Proximum huic alterum quoque æs Campanum turri isti appensum est, quo exorto in urbe incendio Civibus signum datur, ut imminenti occurrant periculo, vulgò die Raths Glocken dicitur, eò quòd per illud post festum trium Regum, ac Sanctorum omnium Ferijs finitis Senatui rursus cogendo signum edatur. Diebus quoque singulis & quidem in æstate media 7mâ hyeme verò horâ septimâ resonat in memoriam circa illud tempus Cæsareum advenisse exercitum, qui à Turcica obsidione urbem hanc Augustis sub Leopoldi Primi Auspicijs, ductu verò Lotharingiæ Ducis liberavit.

vit. Idem & in Templo hoc Cathedrale populum Dominicis festísque diebus ad concionem, & ad lytanias, quoties ad erectum sanctissimæ Triadi Colossum habentur, convocat, ut ob cessantem pestiferam luem, quæ Anno 1679. urbem hanc miserè depasta est, Deo Trino & uni gratias, precésque persolvat. Superiori illius circulo hæc verba inscripta reperio. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. addito anno, quo fusum, atque conflatum est, scilicet 1453.

3tia Campana multò major est, eáque signum datur ad comitandum Venerabile Sacramentum si illud fors ad infirmos deferatur. Inscriptum illi superiùs est nomen artificis his verbis: Georgius Arnoldt von Wienn goss mich Anno Domini 1613. In medio exhibet imaginem S. Magdalenæ, cui sequens inscriptio subjecta est: Thomas Ring Burger des aussern Raths und Verwalter der Löbl. Fronleichnams Bruederschafft, hab ich und mein liebe Haus-Frau Magdalena dise Gloken giessen lassen zur Begleitung des hochwürdigen Sacrament.

4ta Campana à piæ memoriæ Episcopo Rumel Fundata est, ut signum ad preces pro agonizantibus fundendas Civibus detur. Concessis etiam à summo Pontifice 40. dierum indulgentijs, ijs omnib9, qui edito hoc signo pro morientium salute Deum fuerint deprecati.

Ultima demùm notissima est, quam vulgò Breinglökl dicimus desumpto, ùt aliqui volunt, nomine à morbo qui Medicis inflamatio linguæ dicitur, qui aliquando per urbem hanc vehementer grassabatur: vel certè ùt melior fert aliorum opinio, quòd hâc à Rudolpho IV. Fundatâ signum Canonicis ad primam, horásque ceteras dari consueverit; quod dein in vernaculum Sermonem mutatum abusu quodam locò Primglökl Breinglökl simplicioribus dictum est. Pul-

 satur

ſatur hæc quotidie per duas horas. Manè quidem in æſtate à 3. usque ad 4. hyeme verò à 4. ad 5. à meridiè verò integrâ horâ, antequam Veſperæ à Canonicis decantentur. Tàm crebro pulſu atque ipſa ætate Campana hæc tandem rupta fuerat, quare Anno 1675. rurſus transfundi debuit, addita gemina illi imagine Crucifixi & B. Virginis.

TITULUS. VII.

De Turri altera Imperfecta.

TUrris hæc, quemadmodum priori neque de laboris elegantia, neque de ſtructuræ artificio concedit; ita illius molem, altitudinémque multis quoque orgijs transcenſura fuiſſet, ſi pari arte, qua à primo artifice cæptum fuerat, continuare opus hoc tàm inſigne, ceteri, qui in laborem ſucceſſerant, Archi-tecti, latomíque potuiſſent. Indicium hujus faciunt ſubſtructionum moles, atque ſuper hanc ipſam educta reliqua miræ amplitudinis fabrica, quæ alterius Turris fundamenta, basímque haud parum excedunt. Mirum ſanè ædificium & cum veteris orbis miraculis vel hoc ipſo comparandum, quòd tam ferax ingeniorum ætas, ùt noſtra modò ſunt tempora, nullum hactenus tantæ peritiæ artificem dederit, qui inchoatum laborem proſequi, & ad ſummam perducere manum auderet. Autor illius quinam fuerit? quóve Anno vel Archi-tecto conſtrui cæpta? dubīum omnino, atque incertum eſt, in ea maximè ſcriptorum in alias & alias opiniones diſcedentium varietate, quorum ſinguli propè aliter atque pro libitu & Scribunt, & ſentiunt. Reddam hìc, quæ Cuſpinianus de Turri hac meminit. *Veniamus ad alteram novam turrim huic vicinam* (nempè maximæ & jam perfectæ) *cujus fundamentum fuit locatum ſicut à Senioribus fide dignis accepi (Nam nullam occaſionem inquirendi à ſingulis obmiſi, omnes inſuper annales*

nales diligentissimè evolvens quidem, ut posteritati servirem & studiosis omnibus.) Ita igitur à majoribus accepi, hujus fundamenta turris bis jacta esse: Primùm Anno M.CCCC.XLIIII. sed Episcopus Pathavensis & Archi-tectus Ecclesiæ, ea occuluit iterum contecta ac Cooperta aliquot annis. Tandem à Nato *JESU M. CCCC. L. denuo positum ad hoc fundamentum in die S. Hyppoliti decimo tertio mensis Augusti à Venerabili Patre Domino Simone Præposito Neuburgæ Claustralis, & Joanne Puchspaum lapicida & Archi-tecto templi. Eo anno creverunt tàm acerba, & imatura vina, ut plerîque cives effunderent in plateas publicas; quod nemo illa bibere posset præ acerbitate, quæ vulgò & Patriâ linguâ dicebantur Reiffbeisser, quasi dicas: à pruina, antequam maturescerent, adusta. Ignari & indocti quasi circulos vasorum adurerent ac consumerent Reiffbeisser cognominabant falsò. Tum Fridericus III. Rex Romanorum vetuit gravi edicto, ne ita profunderent vina: Sed, si quis nollet bibere, ad cœmeterium S. Stephani duceret, ut hinc Calx Vino posset extingui, & fundamentum rectè locari. Tum discoopertum fuit denuo vetus fundamentum, & novum cæmentum ex vino inductum: Quo ſiompleto crevit jam altera turris in hanc quam vides celCtudinem, cum notis numerorum inscriptis, quantum singulis annis fuit ædificatum.* Ex quibus manifestum est, eum jacta turris hujus prima fundamenta ad Annum 1444. inde verò assurgentis operis reliqui inchoatam fabricam ad Annum 1450. ad Friderici III. nimirum tempora referre, quem & recentiorum multorum opinio atque sententia sequitur. Sunt & alij non pauci, qui posita illius fundamenta sub Alberto V. Anno 1412. affirmant. Verùm obsistere his omnibus Haslbachij autoritas videtur in Chron. suo Austr. pag. 80. cujus verba prout accuratè in Bibl. Cæsar. à me excerpta sunt, hìc reddo: *Ecclesiam denique præfatam ferè à fundo diruit* (de Rudolpho IV. loquitur) *& ipsam in septennio pretioso opere cum duabus turribus à latere, quarum una jam sumptuosissimè completa cernitur, & alte-*

rius jacta sunt fundamenta, reædificare proposuit; prout hæc, & alia palàm de se facturum esse disseruit: Pro quibus consummandis ex omnibus Provincijs famosos operarios accersivit, quorum omnium Magistrum tandem in Neunburga Claustrali comperit, virum miræ industriæ in Architectonico opere, opibus inopem, sed ingenio clarum, ob cujus ingenium omnes latomi ex imagine ipsius Ecclesiæ in stuporem vertuntur, ut cogantur profiteri, se non scire ipsius primi Magistri ingenij subtilitatem in operis deductione comprehendere. Hinc & quidam in hac arte periti & diebus nostris famosi in structura turris præfatæ ita deviarunt, quòd omnia, quæ pluribus annis sumptuosè in ea structa sunt, vice versa ad id, ubi primus reliquerat, amota sunt Anno Domini 1407. prout ipse oculis conspexi. Tunc enim & Magistri Ecclesiæ Joannis Kauffman relatione cognovi, quòd non sit lapis dolatus in turri præfata, quin constet pretio & labore ducatum, aut florenum Ungariæ, quódque præfata turris usque ad tunc constiterit ulta quadraginta quatuor millia florenorum. Quis hìc non videt de Imperfecta hac turri Haslbachio Sermonem esse? Nam major jam Anno 1400. ad supremum apicem deducta, neque aliorum artificum manum, operámque desiderabat, nec demi aliquid ex constructa mole ob laboris vitium postulabat. Quod si igitur jam Anno 1407. & jacta illius fundamenta, & altiùs supra ipsius substructiones eductam fabricam oculis se suis conspexisse fatetur Haslbachius Autor fide dignissimus, satis eos erroris convictos censeo, qui nullius coævi scriptoris Testimonio adducto prima illius initia vel ad Annum 1412. vel cum Cuspiniano ad 1444. referunt. Quin imò & veritati ipsi, & Haslbachij verbis convenientiùs longè me scripturum censeo, si cum ipso templo à Rudolpho IV. inchoato utriusque turris fundamenta posita fuisse statuam, quarum utrámque imperfectam primus Archi-tectus præmaturo fato labori immortuus reliquit, etsi altera ab Antonio Pilgraben multis postea annis ad supremam tandem manum perdu-

perducta sit. Et certè ut alia desint argumenta omnia, confirmare hanc opinionem meam abundè videtur mens ipsa Fundatoris Rudolphi, qui, cùm gemina turri ad Magnificentiam summam exornare inchoatum à se templum statuerit, certè non unius tantùm turris, sed utriusque cum templo ipso fundamenta jecerit. Accedit tum par propè in utraque laboris artificiíque species, tum & totius fabricæ symetria, ac ratio, quæ non complures primò post annos reliquo templo hanc turrim fuisse additam, sed cum cetero eam ædificio consurrexisse demonstrant. Ijsdem Haslbachij è verbis & alter non levis error, quo quidem nihil hodiedum vulgatum magis, plebíque persuasum est, facilè refellitur: dum scilicet Joannem Buchsbaumb Turris hujus primum fuisse Archi-tectum volunt, cujus fortassis ipso è nomine fabula altera originem quoque suam traxerit, qua creditur, invidiâ Magistri illius, qui majorem turrim construxerat, asseres adeò mala fraude in ruinam illi clam positas fuisse, ut fabricam conscendentis vestigium fefellerint, è quo infelici lapsu dein proruens è vivis excessit. Nam si Haslbachius jam Anno 1407. oculis suis turrim hanc conspexit ultra substructiones exsurgentem, quî fieri potuit, ut Joannes Puchsbaumb primam omnium ad hoc opus manum admoveret, aut astu Magistri ab ædificio à se inchoato deturbaretur? cùm ad manus habeam literas antiquissimas è Tabulario Senatûs Civici mihi traditas, quibus Senatus Civicus Anno primò 1446. in prioris ad S. Stephanum Archi-tecti demortui locum, hunc eundem Joannem Buchsbaumb certis quibusdam legibus, pactísque suscepit. Initium earundem de verbo ad verbum subjungo.

Anno Domini M.cccc.xlvi. An Sanndt Matheus abend Maister Hanns Puxspaumb hat sich verschrieben von wegen des Paus das Sanndt Stephan gegen den Rat, der Statt zuo Wienn,

Wiēnn, und den Kirchmaister da selbs Simon Pöltl, Die In zuo ainen Paumaister der Kirch daselbs haben aufgenomen, von erst, das er in soll geben ein ganze Visirung, und die ingeantwurdung des paus, und gewelben des Tomhaus, der Kirchen, und was daran zu pauen ist. Er soll auch fleisich sein, und denen mit treuen und gantzen vleiss obligen, und an Wissen und Urlaub davon nicht ziechen, &c.

In reliquis leges, quibus teneatur, privilegia quoque quibus gaudeat, referuntur. Denique in his literis omnibus nullibi de turri, sed de Templo tantum ipso, ac de Domo ùt vocant capitulari fit mentio, ad quorum ædificia vel continuanda, vel reparanda suscipiebatur. Et verò quis fide dignum censeat Antonium Pilgraben, qui per tot annorum labores majoris turris operi tàm molesto coronidem imposuit Anno 1400. non dico eo adhuc, quo Joannes Puchsbaumb in Templi Architectum assumptus est, vixisse tempore Anno nempe 1446. sed tantorum annorum (si fors etiam vixisse putetur) senecionem, turrim conscendisse, asseres in Successoris atque aliquando Discipuli sui præcipitium malis artibus disposuisse, ea maximè jam ætate, qua neque invidere traditos alteri labores potuit, neque si voluisset, fractæ jam tanto senio vires id concessissent. Quid, quòd neunquam ad D. Stephani Templum, nisi Archi-tectus unus, ædilísque fuerit, qualem hunc Joannem Puchsbaumb, cùm ex citatis jam literis fuisse apertum sit, ostendant ij, qui contrarium sentiunt, quo vitio, quáve ratione (si etiamnum superstes fuit alterius turris artifex) muneri is suo exciderit? aut quî opinionem suam defendant, qua Joannem Puchsbaumb in arte hac etiamnum tyronem, Discipulum,

Juve-

Juvenem delapſum ex inchoato à ſe ædificio volunt? certè non tyrones ac pueri tantis adminiſtrandis laboribus adhibentur, neque ut præſint tot operis alijs, Senatûs totius conſenſu jubentur. Aniles igitur has eſſe fabulas judico à prudentioribus omnibus ex merito deridendas. Ceterum invenio quidem in M. S. aliquo ex Tabular. Senatûs Civici mihi tradito Anno Domini M. CCCC. L. hanc turrim inchoatam ſolennitate quâ potuit maxima, cui inter ceteros interfuiſſe Joannem Abbatem ad S. Crucem, Petrum Abbatem Lilicampienſem, Simonem Præpoſitum Clauſtro-Neoburgenſem, Nicolaum Præpoſitum ad S. Dorotheam ingenti Nobilium Comitatu ſtipatos lego, jactósque illius primos lapides à dicto Joanne Puchsbaumb tanquam primo Archi-tecto fuiſſe invenio. Verùm quia neque Character ipſe antiquitatis ullius indicium exhibet, neque id ipſum cum antiquioribus paulò ſuperiùs à me recenſitis Autoribus convenit, qui multis antea annis jam turris hujus poſita fundamenta, atque excreſcentem altiùs molem conſpexiſſe ſe fatentur, meritò id tanquam ſuppoſititium à me reijci debuiſſe benevolus, prudénsque Lector cenſebit. Accedit, quòd & erronea alia, ac planè incredibilia huic ſcripto inſerta ſint, nam & fundamenta ipſa è ſolido lapide ſuper ipſam terræ ſuperficiem, ne ejecta quidem, vel ad digiti unius ſpatium humo locata fuiſſe, inibi recenſentur, tantáque celeritate ſubſtructionum molem exſurrexiſſe, ut vix 6. hebdomadarum ſpatio labor improbus durârit. Quæ quidem, quàm nullam fidem mereantur, Architecturæ periti, qui ingentem hanc machinam aliquando conſpexerunt, ad quam ferendam jacta etiam fundamenta fortiſſima, vix ſuffectura credi poſſent, judicabunt. Rejectis his aliorum opinionibus, rurſus ad Turris hujus ædificium redeo, quam in 25 orgiarum altitudinem excreviſſe videmus, ingentibus non modò impendijs, ſumptibúſque, ſed & duorum pænè ſeculorum labore. Demortuo enim primo illius artifi-

cè,

ce, tentatus dein à varijs labor fuerat, sed semper in cassum, dum scilicet quæ multis annis structa sunt, ob Archi-tectorum Imperitiam demi rursus debuerunt, ut Haslbachius superiùs citatus oculis se suis vidisse testatur. Exhibet certè Turris hæc ipsa, eà, quà Episcopalem Aulam respicit, parte, diversorum annorum inscriptos sibi numeros; nempe Anni 1499. 1502. & 1507. qui indicare videntur, ijsdem quoque Annis perficiendæ illius fabricæ non parum studij, laborisque, etsi successu vix meliori, impensum fuisse. Est præterea multorum opinio, cæmentum ad turris hujus constructionem vino paratum fuisse: Inter quos & Cuspinianus superiùs à me citatus. Verùm cùm id ipsum prædictus scriptor ad Friderici ipsius tempora referat: Satis manifestum est, vel turris hujus fundamenta, quam pluribus jam ante Friderici susceptum regimen annis erigi cæptam superiùs ostendi, vino non potuisse construi, aut factum si illud est, certè ad Rudolphi IV. tempora potiùs referendum fuisse, nisi fors Cuspinianus per fundamenti novi locationem vellet intelligi continuationem laboris jam altiùs erecti, multisque annis interrupti, ad quem denuò promovendum, aquæ locô, acidum illud vinum cæmento parando permixtum sit. Et verò negari non potest Fridericum III. conatum omnem, curámque eò convertisse, ut præclara turris hujus fabrica perficeretur: adhibiti ab illo ad opus hoc insigne promovendum artifices quique peritissimi; nullis sumptibus, laborique parcitum est: At ne ijs quidem proficientibus, cùm educi ulteriùs moles haud posse videretur Cupulam (ùt hodie vulgo dicimus) imponi desperato jam labore Fridericus hic ipse imperfectæ etiamnum fabricæ voluit, ad quam obducendam 10000. libras cupri donâsse dicitur. Steterat hæc annis compluribus donec Anno 1579. Archi-tecto Gasparo Savoy demptâ illâ, nova intra turris hujus imperfectam molem è lateribus Turricula consurrexerit, cui rursus tectum cupro obductum additum, illi-

illíque aquila, in omnem partem à vento agi facilis, imposita est, uti Tabula cuprea infra aquilam turriculæ hujus apici affixa exhibet, quam eodem Anno, scilicet 1686. quo majorem turrim conscendit, Nicolaus Rossytko, cum aquila deposuit, ut hæc injurijs temporum non nihil violata repararetur, illa verò rerum curiosos edoceret, quo tempore turricula ista reliquo ædificio inducta fuerit, legebantúrque in ea scalpro incisa sequentia.

Michael * Schwingenkessel * von * Lansperg * Burger * und * Kupfferschmiedt * in * Wienn * hat * den * Thurn * deckt * und * den * Knopff * darauf * gemacht * in * M. D. LXXIX. * Jahr *

Hac ipsa in turricula pendet æs Campanum alterum majus, minimè mole sua contemnendum; Centenarios enim pondere suo facilè 202. librásque 50. æquat. Fusum illud primò Anno 1472. á Felice Fabiano, Centenarios tum ponderabat 160. at, vitium tandem postquam crebro diuturnóque fecisset usu, in novam hanc molem addito novo metallo redactum est. Lingua illius, qua ad edendum sonum repetitis ictibus solicitatur 650. libras facilè conficit, varijs præterea vel imaginibus sanctorum, vel inscriptionibus instructum cernitur. Una parte se se Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, tum & D. Proto-Martyris Stephani effigies offerunt, adjecta hac inscriptione: Urban. Weiss me fudit. Altera verò parte Christi Cruci suffixi simulacrum adstantibus utrimque & Virgine Matre, & Discipulorum Charissimo Joanne. Superiori æris hujus circulo inscripta lego sequentia:

Anno à nato Salvatore Domino nostro J. C. M. D. LVIII. Imperante feliciter Domino nostro Ferdinando Imo. Rom. Imp. Cæs. Augustis.

Infe-

Inferiori verò parte, qua latiſſimè diffunditur hanc quam ſubijcio Inſcriptionem continet: Senatus, Populúsque Viennenſis hanc Campanam reficiendam curavit, Georgio Prandtſtettero Conſule, Hilderico Heger Templi Curatore. Æs Campanum iſthoc D. Joannis Baptiſtæ honoribus ab Epiſcopo Gurcenſri, Patrini verò, ùt vocant, munere fungente Georgio Eder S. C. M. Conſiliario initiatum eſt, atque à puella 10. circiter annorum artificioſo à Mathematicis inſtrumento ſine laboris fatigio attractum; Cujus totam, quo concluditur ampliſſimi Circuli, circumferentiam hodiedum videre eſt penes Aulam, ùt dicimus, Ratisbonenſem lateribus coctis publica urbis in via deſcriptam. Reſonat grande æs iſtud in ſupplicationibus plerumque publicis, feſtíſque per annum diebus ſingulari vel Dei, vel Sanctorum cultui, venerationíque inſtitutis, in funerum item Nobiliorum elatione, atque Sabbati diebus ſingulis, dum poſt meridem à media 4ta ad 4tam horam usque ad Lytanias coram Mariano Coloſſo in foro urbis maximo vulgò Hoff dicto decantandas, populúmque cogendum Signum editur.

Sunt & præterea geminæ aliæ turres ad Principem Templi Portam quadrato è lapide exſurgentes quas cum prima Templi hujus antiquiſſimi fabrica ab Henrico I. Auſtriæ Duce erectas fuiſſe M. S. ad S. Stephani à me reperta memorant, neque illud incredibile; nam & rudior, multúmque reliquæ ſtructuræ diſſimilis labor, antiquioris eas temporis opus eſſe facilè intuentibꝰ ſuadebit: Quin imò cohærere id optimè videtur cum Haslbachij verbis ſuperius titulo 3tio à me citatis, Quibus Rudolphum dictam hanc Eccleſiam ferè è fundo diruiſſe innuit, novámque conſtruxiſſe. Quæ voces: *ferè è fundo diruit* indicare videntur, non totum ædificium vetus illud à Rudolpho IV. everſum, ſed maximam tantùm illius partem; relictis tamen qui-

busdam

busdam veteris ſtructuræ quaſi veſtigijs, ac præcipuè binis his turribus, quibus demoliendis ob laboris præſtantiam novus Fundator pepercit. Confirmat hanc opinionem etiam Freherus titulo item 2. à me citatus ad Annum 1295. his verbis: *Circa nativitatem B. Virginis tantus fuit ventus, ut Crucem de ſiniſtra Turri ad S. Stephanum Eccleſiæ Parochialis deijceret.* Quibus verbis manifeſtè duabus turribus antiquam hanc ædem Sacram inſtructam fuiſſe aſſerit: At hæ hodiedum ſuperſtites novam quoque Eccleſiæ frontem haud parum exornant. Altitudine ſua tecti ipſius ſummitatem haud multùm tranſcendunt, à cujus apice in cuſpides è quadro lapide coëunt, ambulacris ſuis coronatæ, nodíſque undíque prominentibus, ſcalpríque artificio è lapide excíſis ornatæ. E vertice harum turrium geminæ ſtatuæ tres fermè pedes altæ, auróque inductæ atque à vento in omnem facilè partem agiles eminent, quarum una Divi Stephani, S. Laurentij altera Imaginem elegantem exhibet. Sed & ære quoque Campano eóque multiplici inſtructæ ſunt, cujus concentu amœniſſimo ſæpiùs per annum reſonant. Illa quidem quæ Cantorum proximè domum reſpicit, duas Campanas numerat, quarum prima mole ſua commendata vulgò die Zwelfferin, aliàs etiam Campana Principum dicitur. Inſcriptum huic lego fuiſſe ſequentia: Salve ſancta facies JESU Xſti. Item O quàm gratiſſima & affictiſſima fuiſti Benedicta Mater Unigeniti. Circulo verò ſuo verba hæc complectebatur.

Æs hac Campana nunquam denuncio vana
Bellum vel feſtum, flammam vel funus honeſtum
Nomine me fudit Conradus ab Urbe Monaco
Anno Domini M. CC. LXXIX.

Æs hoc, poſtquam ducentos, & viginti aliquot annos duráſſet, crebro tandem uſu deſtructum reparari, ac de novo fundi debuit, ùt ſequens inſcriptio illi addita exhibet.

Ducentos vixi reſonans, annósque Viginti
Ante meos ortus, quàm rumperet omnia
Sorbens
Mors: reparata Radislaus Cognomine Rathzo
Vivo iterum genitus veteri ceu Semine
Phœnix
Anno Xſti M. D. IX. Maximiliano Cæſare
Archiduce Auſtriæ regnante.

Campana altera, quæ huic tum vicina pendebat, vulgóque Nova dicebatur, Anno 1681. rupta pariter fuerat, atque in ipſa turri (cùm tota ob loci anguſtias demi ſine ingenti labore non potuerit) in fruſta comminuta, & è feneſtris in terram dejecta eſt. Inſcriptiones, quas tum continebat, has reperi. Georg Wenning hat mich gegoſſen ihm Jahr nach Chriſti Geburt 1619. benè Morientium Gloria. Exhibebat quoque in medio B. Virginis Coronatæ, item aliam illius Puerulum JESUM in ulnis brachiísque tenentis, ac tertiò Divi Proto-Martyris Stephani Imagines, inferiùs verò hæc verba videbantur: In Nomine JESU Omne genu flectatur Cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus JESUS Chriſtus in Gloria eſt Dei Patris. Reparatam tandem invenio Anno 1681. 21. Novembr.) ac tandem poſt trium dierum ingentes labores, perfractósque muros loco ſuo redditam. Libras ponderat 8410. verbáque fuſoria arte expreſſa ſuperiori ſuo in Circulo refert ſequentia. In

dem

dem Namen der allerheiligsten Dreifaltikeit, und der Muetter Gottes Mariæ bin ich durchs Feyr und hiz geflossen, Balthaser Gerold in Wienn hat mich gegossen. Infra hanc scripturam Imaginem cernere est SS. Trinitatis adjectis his verbis: Gottes Wort bleibt ewig. In alijs verò partibus duabus effigies B. Virginis ac S. Stephani templi hujus Patroni. Exhibentur præterea varia insignia, gentilitia scilicet arma Consulis, qui eo tempore fuerat Andreas de Liebenberg. Item supremi urbis hujus Ædilis, cum adjecta superiùs Epigraphe. Victus post funera durat. Inferiùs verò sequentibus literis subscriptis. S. S. S. O. S. C. Quas interpretor significare: Simon Stephanus Schuester, obrister Statt Camerer. Ac denique insigne Ferdinandi de Radegg, qui tunc temporis Ecclesiæ Præfectus fuerat.

Turris altera, priorique vicina Campanas continet quatuor, quarum prima communiter die gnandt dicitur, in cujus superiore parte hæ literæ se se legentibus offerunt D. O. M. E. Infra quas circulus æs totum campanum ambiens hanc inscriptionem exhibet: M. D. LII. Mense Martio Imperante feliciter Rom. Hung. Bohæmiæque Rege Ferdinando. Huic rursus subjecta est scriptura altera in hunc sensum. S. P. Viennensis hanc Campanam vetustate corruptam refecit Christophoro Heyden Consule ph. & J. U. D. In hoc ære non nisi unica imago atque ea quidem Christi Cruci suffixi cernitur addito Anni 1552. numero, sequentique inscriptione. Mit Gottes Gnadt, Urban Weiss hat mich gossen. Proxima huic est vulgò Feyerin nuncupata, cui inserta sunt sequentia verba ita vetustate ipsa

detrita, ut legi vix possint. Laudo Deum verum. plebem voco, Colligo Clerum &c. Imaginem præterea refert D. Stephani atque Anni, quo fusa est, numerum scilicet 1457.

Tertia est, ùt hodiedum vocatur die Bier Gloken cui nihil, præter hos vernaculi Sermonis versus, inscriptum est, scilicet Michael Doppler hat mich gegossen, In namen JESU Christi bin ich geflossen Anno 1546. Campana hæc pulsatur quotidie Vesperi, & quidem à Festa S. Georgij luce usque ad diem Divi Michaelis Archangeli honoribus sacrum ab hora 9. vespertina; hinc verò rursus ad Festum S. Georgij usque ab hora 8. per quadrantem integrum, quo pulsu Signum datur, ut cauponariæ Domus omnes occludantur.

Quarta demum, atque ultima vernaculo Sermone das Chor-Glökl dicta, eò, quòd hujus sono Canonici ad decantandum Divinum officium ad Cathedralem hanc Ecclesiam convocentur. Universim Templum hoc 13. Campanas numerat partim magnitudine ac mole, partim antiquitate sua commendatas.

TITULUS VIII.

Quo tempore Ecclesia hæc honoribus S. Stephani initiata sit, & quando ab omnibus Sanctis nomen acceperit.

REm hìc aggredior, quæ, ùt ùt primo fortassis intuitu levis, atque exigui esse momenti habeatur, eò, quòd jam judicio, opinionibúsque populi ac scriptorum propè quot quot Ecclesiæ hujus meminerunt omnium, Sententijs decisa, firmatáque fuerit, plurimùm nihil ominus ea mihi laboris, difficultatísque adferre visa est, quòd ea ratione scribendum de ea mihi

forté

fortè intelligerem, ut vel antiquissimis documentis, quæ in manus meas pervenerant, repugnare, vel torrenti Autorum obluctari sit necesse. Quid enim vulgatum, ac quotidianis propè Sermonibus tritum; quid Autorum, Scriptorúmve in libris commendatum magis, quàm templum hoc ab Henrico primo Austriæ Duce Omnium Sanctorum honoribus erectum, dicatúmque fuisse? Quo nomine per duo etiam dein secula potitum id esse volunt, donec mutato priori, nomen, titulúmque D. Stephani Episcoporum Passaviensium Autoritate suscepit. In hanc Sententiam locutus videtur Lazius lib. 2. Comment. de Rebus Viennens cap. 3. fol. 59. cujus hìc verba reddo: *Et demum sub Annum Salutis nostræ M.C. XLIV. cùm Henricus primus Dux Austriæ omnibus Sanctis in Fabianis ædem posuisset, à Reimberto tum Bataviensi Episcopo consecratam Parochi primi in Fabianis, quæ jam prima syllaba detracta Wienna & Biana nuncupabatur constitui cæpti sunt.* Cui subjungit paucas post lineas. *Pollio quispiam ultimus Parochus Wiennensis in omnium Sanctorum templo, quod jam à Bataviensis Diœcesis Patrono D. Stephani nomen adsciverat.* Secuti sunt Lazij opinionem scriptores ferè omnes, inter quos & Fuggerus p. 1. pag. 318. qui ab Henrico primo Austriæ Duce Anno 1157. templum hoc omnium Sanctorum cultui, venerationíque erectum, Anno verò 1340 prima Dominica post Pascha ab Alberto Passaviensi Episcopo D. Proto-Martyri Stephano consecratum fuisse refert. Eadem planè recenset Autor Chronici Mellicens. editi Anno 1702. Neque ego à communi hac, atque iam dudum in populo recepta opinione recederem, si citati Autores vel unum ex antiquis scriptis, literísve testimonium adducerent, quorum me tamen plurima in contrariam abire Sententiam cogunt. Quid dico testimonium? Asserti modò sui rationem unam adjungerent, quæ veritatis speciem præferret, qua scilicet occasione, quâve de causa Nomen hoc antiquo templo immutatum sit, aut qui-

bus rationibus persuasus Albertus Episcopus Divi Stephani illud cultui, honoribúsque post tot annos dicârit? Cúrque consecrari Anno rursus 1340. paucis scilicet annis, priusquam illud Rudolphus IV. demolitus est, inque novam ampliorémque formam redegit, de novo oportuerit? horum omnium cùm nihil referant, non vitio mihi dabitur ab æquo Lectore, si pro libitu illos potiùs, quàm ex vero isthæc scripsisse dixero. Accedit, quod & in Anno ipso, quo Divi Stephani venerationi consecratum illud affirmant hallucinati esse videantur. Quî enim (ùt citati ultimo loco à me Autores volunt) fieri potuit, ut ab Alberto Passaviensi Episcopo Anni 1340. consecraretur? cùm Anno 1362. Godefridus de Weissenec primùm & Episcopatu simul, & vita decesserit, cui eodem Anno Albertus iste in Episcopalem dignitatem successit, ùt videre est apud Hundium in metropol. sua Salisburgensi de Episcop. Patav. pag. 144. Scio quidem suspectæ à multis fidei Hundium haberi, quòd Pataviensibus Episcopis multùm affingat, plurimùm Salisburgensibus tribuat, cujus etiam causâ graviter accusatur à Scriptore Pataviensi in opere suo cui titulus. *Genuina Informatio Historica pro nativa exemptione Ecclesiæ Laureaco-Pataviensis contra recens Scriptum, cui titulus Informatio Historica.* Volvi, revolvi hoc ipsum opusculum: Reprehendi falsitatis in aliis Hundium reperi sæpiùs, at in serie ac successione Episcoporum, ùt quidem advertere licuit, nunquam. Quod omissurus profectò Scriptor hic Pataviensis minimè fuisset, si & in hac à vero aberâsse Hundium deprehendisset. Viderint igitur præfati Autores, quî sententiam suam adversùs Hundium tueantur, quo certè in recensenda Episcoporum Pataviensium serie meliorem, sinceriorémque inveni neminem. Ego ut liberè, quod sentio, dicam, templo huic ab Anno 1147. quo primùm à Reimberto Pataviensi Episcopo dicatum est, nomen semper S. Stephani fuisse affirmo. Nec OO. SS. honoribus

ribus initiatum esse, nisi eo tempore quo à Rudolpho IV. Archi-Duce in hanc Sacram amplissimámque Basilicam destructa priori fabrica est erectum. Movent me ad id asserendum M. S. plurima; eáque antiquissima à me inspecta & excerpta; literæ itidem, ac coævorum etiam Scriptorum testimonia, in quibus omnibus ante Annum 1359. nullo alio Ecclesiam hanc nomine compellari, quam S. Stephani lego, inde verò confusâ, ita per complures annos illius fuisse nomina, ut jam ad S. Stephani eadem, eadem ad OO. SS. promiscuè diceretur. Testimonia hæc ipsa subjungo: Ottockarus Horneck Autor Synchronus in Histor. sua Austr. M. S. à me in Bibliot. Gæsar. inspecta refert. Anno 1278. Rudolphum primum Gæsarem post cæsum Ottockarum Bohemiæ Regem Viennam venisse, séque ad grates Deo persolvendas in Templum S. Stephani contulisse, verba illius inter cetera hæc sunt jam superiùs à me titulo 2. citata.

So er so emphangen wart
König Ruedolff an der Vart
Dero grosß meng Volck dan
In das Münster S. Stephan
Ist geweicht zu ehren
Da dangt er unsern Herrn.

Nec dissimile est, quod in literis Alberti Ducis Austriæ reperi, quibus privilegia amplissima Senatui Civibúsque Viennensibus concessit, quarum Originale in Tabular. Senatûs Civici inspexi ipse, atque sequentia manu mea excerpsi. Initium harum literarum sequentis est tenoris:

Wir Albert von Gottes Gnaden Herzog ze Oesterreich, und ze Steyr. Herr zuo Krain, der Marich, und zuo Portenau, allen dan die nun lebent, und hernach sint ewiglich. Wan

die gemaine unser lieben gethreuen Reichen und armen der Burger ze Wienn mit rechten threuen und ganzer Stettickeit ihr herrschafft, Fürsten, Herzogen, zuo forderist unsern Herrn und unser Vattern König Ruedolffen dem Röm. König. und auch uns unterthänig ist gewesen &c. Omitto hic brevitatis causa paucas lineas, privilegia plura urbi concessa exprimentes, post quas subjungit præfatus Dux.

Seidt das von alters Gewonheit der Fürsten von Oestereich also herkomen ist, das wir die Schuell von Wienn verleichen solten. doch wollen wir, und bestätten das festiglich zuo ein sonderlichen Gnaden den Bürgern und den Rath von der Statt, die Schuell ze Wienn fürbas ewiglich zu verleichen. Wann sie allen nuz und ehr in der Statt schaffen sollen; So sollen sie auch ihren Kindern einen Schuellmaister Schaffen, das sie nuz und ehr haben an Künst, und an ehren, sie in allen besten findten und haben mögen, als sie umb ihrer Freind kunfftige lehrjunge Gott andtworten sollen, ob von der saumige ihr keiner misrathe. Wier wollen auch die lehr, gemächlich beruehen, davon die Weisheit gekindet wird der Christenheit, und das ungelehrt alter von Kindheit wird geweiset, und gelehrt, so geben Wier vollen Gewalt dem Schuellmaister *zuo S. Stephan der Pharkürchen* der von dem Rath der Statt da wird gesezet zuo Schuellmaister, andere

re Schuell zuo ſtifften in der Statt, und doch, das ſie ehrlich und gewonlich ſeynd. Alle die Schuell die in der Statt ſeynd, die ſollen dem ſelbem Meiſter unterthänig ſeyn mit Zins und mit Zucht, une kunfftlicher bewahrenheit. Repetit in ijsdem literis hoc ipſum S. Stephani nomen Dux præfatus, tandémque literas ſuas finit ſequentibus verbis.

Diſer Brieff iſt geben ze Wienn mit Maiſter Otten handt von Mödling unſern obriſten Schreibers, da von Chriſtus Geburt waren tauſend Jahr, zwey hundert Jahr in dem 96. Jahr an dem erſten Sontag in der Faſten da man ſingt Ambt. Invocavit. Vides hìc optime Lector Anno jam 1278. ab Ottockaro Horneck, atque ab Alberto Duce in literis ſuis urbi huic ſenatuíque Anno 1296. datis, templo huic nomen S. Stephani tribui. At videant quoque contrariæ opinionis vel Autores, vel Aſſeclæ, quî ſententiam ſuam ab errore vendicent? Non niſi Anno 1340. Divi Stephani cultui ab Alberto Epiſcopo templum hoc initiatum fuiſſe, atque conſtanter omnium Sanctorum priùs geſſiſſe nomen, titulúmque volunt: Quî ergo Ottokarus Horneck, quî Albertus Auſtriæ Dux, quorum utérque priori ſeculo vixerat, quorúmque hìc verba retuli, tot ante annos Sancti Stephani Eccleſiam Vienenſem nominârunt? certè ſi ad manus optimis his viris ea, quæ inſpexi, antiqua documenta fuiſſent, continuò in meam abijſſent ſententiam, nec erronea hæc opinio multorum adeò animos occupâſſet, ad quam eradicandam vix cumulata antiquiſſimorum ſcriptorum teſtimonia ſufficere videntur. Quorum plura ad fidem faciendam hoc loco ſubjungam. Citavi titulo 2. literas Gerardi olim Viennenſis Plebani, quibus Sancti Monialibus ad Portam

Cœli Anno 1267. Calend. August. Vineam quandam donaverat, adjecta tamen conditione, ut nisi vitam morésque ad Divi Augustini leges composuerint, ea tota Ecclesiæ Parochiali accedat, quam dissertis verbis S. Stephani vocat. Freherus item pariter à me citatus eodem titulo pag. 338. *circa nativitatem*, inquit, *B. Virginis tantus ventus erat in Austria, ut Crucem de sinistra turri ad S. Stephanum Ecclesiæ Parochialis in Vienna deijceret.* Denique inter M. S. Bibliot. Cæs. etiam Chronicon Hermani Contracti ipse inspexi, quod à pluribus Autoribus ad Annum usque 1310. deductum, continuatúmque est, inter quos Anonymus quidam ad Annum 1280. sequentia fideliter à me excerpta refert. *Petrus Pataviensis Episcopus obijt, cui Successit Wichardus in Vienna in choro S. Stephani cum Episcopo chyemse á Domino Episcopo & legato Tripolitano venerabiliter consecratus.* Quæ certè tot támque copiosa testimonia satis ostendunt, ab ipsa prima templi hujus erectione per tot continuos Annos nomen illi S. Stephani fuisse proprium; ejus honoribus, ejus cultui ac venerationi fuisse primitùs dicatum, gravitérque errâsse Scriptores illos qui id non ante Annum 1340. eidem inditum fuisse contendunt. At erit fortassis aliquis qui quidem tot jam retro ab annis S. Stephani eam fuisse dictam Ecclesiam asseret, ut tamen & sæpius illi omnium sanctorum titulus antiquis in literis tribui legatur. Non inficiabor id quidem ego, & sæpius in literis M.S. ita utrumque nomen confundi, ut jam hoc, jam illud, sæpius etiam utrumque eidem attribui videatur; At minimè id ante Rudolphi tempora factum esse concessero, nam nullum hujus rei apud antiquiorem ullum scriptorem ante Annum 1350. vestigium deprehendere licuit. Proferant tale aliquid contrarium sentientes, & libens, volénsque victas manus dabo, sententiámque illorum amplectar. Quid verò quod nè ipse quidem Rudolphus antequam Ecclesiam hanc in Præposituram erigeret in literis suis unquam alio eam nomine, quam S. Ste-

Stephani compellet? Extant testes hujus ipsius Rudolphi literæ in Chron. Mellicens. quibus beneficium privilegiúmque Salis per Danubium devehendi sine tellonij persolvendi onere conceditur, adjectis tamen certis conditionibus, inter quas & ista Ducis ipsius verbis hisce expressa est: Per Abbatem quoque ejusdem Monasterij, qui pro tempore fuerit, annis singulis in die festo Sacrosancti Dominici Corporis Viennæ in Ecclesia S. Stephani, etiamsi in collegiatam Eccesiam fuerit redacta, Pontificalibus ornatum insignijs prior missa in altari publicè decantetur. Claudit verò has ipsas literas suas dictus Archi-Dux in hæc verba: Datum & actum Viennæ in Palatio nostro Ducali 14. Kalend. Julij Anno nativitatis Domini 1359. ætatis nostræ 20. regiminis verò primo. Idem quoque templo huic nomen, alijs quoque in literis à me jam titulo 3. citatis, atque eodem Anno 1359. à se exaratis tribuit Rudolphus in hunc sensum: Seind wir nach erkantnuz billicher dankbeer die Pfarrkirchen daz Sand Stephan ze Wienn, derlechen recht uns angehört ze witren, an der grundvest ze graben den ernsten Slag mit unser selbs henden getan haben auf den ainlifften tag Merzen &c. Habeo præterea ad manus alias Rudolphi Archiducis hujus literas, quibus certam peccuniæ summam templo huic elargitus est, quarum initium, finémque hic reddam.

Wir Rudolph der IV. von Gottes Gnaden Erz Hörzug ze Oestereich, ze Steyr, ze Kernten &c. bekenen und tuen chund offentlich

allen

allen leiten gegenwärtigen, und kunfftigen, die disen Brieff ansehent, lesen, oder hören lesen, das Wir mit rechter Erkantnuſs betrachtet haben, seid nichst gewissers ist, den der dot, und nichst ungewizzer danne die Stund des dotes, das vor allen dingen einen ieglichen Menschen noturfftig ist die Zeit seines totes mit Gütten zevor komen, das er bereit sei, wen er mit der hinvart von diser Welt begriffen werd, und darum, wann wir in dem Gottshaus ze Sand Stephan ze Wienn unser begröbnuzz erwellet haben &c. Clauditque has literas suas in hunc modum. Und das ze einen waren offen und ewigen urkund geben Wir disen Brieff versigelten mit unsern grossen Fürstlichen Insigl der geben ist ze Wienn an mittwochen vor Sand Tiburtij tag nach Christs Gepurd 13. hundert jahr, darnach in 63. jahr und unsers alters den 24. und unsers gewalt in den 5. jahr. Ubi vides usque ad annum 1363. nec ab ipso Rudolpho, dum de templo hoc loquitur, omnium Sanctorum mentionem fieri, sed Sancti Stephani solùm, quod nomen à prima Ecclesiæ hujus origine eò usque constanter retentum fuerat, donec tandem Anno 1365. Præpositura ac Canonici ab hoc ipso Archiduce in honorem OO. SS. fundati ad templum hoc translati sunt, à quibus dein & illud hoc nomen suscepit, ut rursus ex literis Rudolphi à me referendis manifestum fiet. Anno 1365. in literis suis, quas in Tabula. Colleg. Ecclesiæ Viennensis reperio, Archidux hic se affirmat vivente adhuc Parente Alberto, cujus potissimùm hac in re consiliô usus fuerat, Anno ætatis suæ 19. in Aula Capellam erexisse honoribus SS. OO, atque ibidem

post

Joannes Staindelius Presbyter Pataviensis in chronico generali apud F. Oefelium: Rer. Boic. script. Tom. I pag. 417. et quoad sequent. passum pag. 538.

MCCCCLXVII.

Secunda die mensis Junii rogatu Concilii Oppidi Wiennensis; hora secunda circa vesperas Rev^mus Præsul Pataviensis, Dominus Udalricus Cancellarius Imperatoris, in Pontificalibus apparamentis: cum suffraganeo suo et Abbate Gottwicensi et Abbate in Geysm, cum solemnitate cantus et Cleri reposuit primum lapidem super fundamento novæ turris ad S. Stephanum in cœmiterio versus curiam Præpositatem.

Iste Staindelius Canon. Passav. vixit adhuc aõ. 1513.

post Parentis Alberti mortem cum canonicis fundasse Præposituram majorem. Verùm quia Angustiæ loci minùs pijs eorum officijs favere videbantur, egisse se precibus apud Innocentium VI. Pontificem, ac tandem isto è vivis excedente ab Urbano Successore impetrâsse, ut in Divi Stephani ædem Præpositura hæc unà cum canonicis transferretur in quibus ipsis etiam literis hæc ipsa verba à Rudolpho scripta reperio. Stifften Wir in die vorgenante unsere Pfarr ze Sand Stephan ze Wienn, die virbas ewiglich genand ist das allen Heiligen &c. Plura de his literis referre hoc loco supersedeo, quas sequenti titulo commodiùs reddam. Hinc satis manifestum esse aliunde conficitur, quàm non sine causa, gravíque ratione Rudolpho à me tribuatur, quòd is omnium primus D. Stephani nomen, quo hucusque hæc Sacra Basilica gaudebat, in Sanctorum omnium titulum mutaverit. Scilicet movere illum poterat jam priús eorum cultui erecta, dedicatáque capella, fundatíque eo titulo Canonici, quos in templum hoc à se pariter ampliatum, constructúmque transtulit, ut & vetus eorum nomen, titulósque transferret. Probare id videntur Ducis ipsius verba à me hìc posita, ut quid enim diceret: Die vorgenante unser pharr ze Sand Stephan die virbas ewiglich genand ist das allen Heiligen &c. Si jam ab Origine prima templum hoc Sanctorum omnium honoribus initiatum fuit, ídque nomen gessit? Certè vox ista virbas seu deinceps apertè indicat non præteritis annis usitatum hoc nomen sed isto demum anno ità Ecclesiæ huic attributum fuisse, ut id per annos reliquos, ætatémque futuram omnem duraret.

Aliam quoque asserti hujus rationem adfero ex alijs literis ejusdem Ducis eodem pariter Anno Millesimo scilicet trecentesimo sexagesimo quinto datis, qui-

quibus Academiam hanc viennensem fundat ac erigit, simul verò & apertè testatur se velle Parochialem D. Stephani in Collegiatam Sanctorum omnium erigere, Verba Ducis ipsius videamus:

In cujus etiam villæ Parochiali Ecclesia Sancti Stephani in brevi temporis spatio Deo auspice in Præposituram seu collegiatam Ecclesiam sub honore Sanctorum omnium redigendam sepulturam nostram eligimus &c.

En ùt templum Parochiale hìc nomine S. Stephani scilicet veteri suo compellet Archi-Dux paucis diebus antea, quàm in illud translati ex Sacello Aulico Canonici inducerentur? útque mox subjungat brevi illud temporis spatio à se in collegiatam Ecclesiam sub honore Sanctorum omnium erigendum? Cur his verbis usus fuisset Rudolphus? Cur, quæro, hanc Ecclesiam S. Stephani in Collegiatam sub honore Sanctorum omnium erigendam diceret? si (ùt adversa Scriptorum pars sentit) jam à seculis id nomen hæc eadem Sacra Basilica tenuit? nisi fors non semel sed sæpiùs permutata illius fuisse nomina, sine ratione, sine veteri, ac antiquo testimonio fingere alicui lubeat.

Ego ad sententiam meam confirmandam tertium quoque Archi-Ducis hujus testimonium adjungam ex literis illius, quæ in Tabular. Colleg. Cathedral. Eccles. Vienn. asservantur, excerptum. Datæ sunt istæ post erectionem Præposituræ hujus eodem Anno 1365. cùm certis, cum Passaviensi Episcopo initis pactis ac conditionibus, Ecclesiam hanc à subjectione illius & jure omni eximit. Initium literarum hoc est.

Wir Rudolph der Vird, Albrecht, und Leopold von Gottes gnaden, Erz-Herzogen ze Oestererch, ze Steyr, ze Kärndten, und ze Krain, Herren der Windischen Marich &c. beken-

bekennen und thuen kund offentlich mit disen Brieff allen denen, die in sechent lesen, oder hörent lesen, die nu leben, oder hernach kumftig sint, daz Wir mit dem erwürdigen Herrn Albrechten Pischoff ze Pazzau mit wollbedachten mute von der rechten und lechenschafft wegen, die er und sein Capitl ze Pazzau wolten gehabt haben, und auch vordern ze haben an der Pharrkürchen etwen genand das Sand Stephan ze Wienn, und die man nenet ze aller Heiligen, also uberein komen sein &c. Cedit dein dicto Passaviensi Episcopo Ecclesiam Waydhoffen: cum omnibus juribus suis, ac tandem subjungit:

So haben sich der eg̃n Bischoff und sein Capitl auch für sich selber und für ihr nachkomen da wider verzigen aller rechten geistlichen und weltlichen, und auch aller der ansprach die sie eines weges an der eg̃n lechenschafft der vorgen Pharrkurchen ze allen Heiligen ze Wienn die vorgenand ist zu Sand Stephan gehaben, oder gehaben möchten mit brieffen oder ohne brieff &c. Clauduntur demum hæ literæ in hunc modum.

Und den zu urkund, und ze einer ewigen Vestung geben Wir disen brieff besiglten mit unsern insiglen, der geben ist ze Baden an Sambstag nach dem heiligen Ostertag nach Krist Geburt Dreuzenhundert jahr, und darnach in dem 65. jahr, unsers vermögen Herzog Rudolff

dolff alters in den sibenten jahr und darnach unsers Herzog Albrechts alters in dem 16. und unsers egenand Herzog Leopolds alters in den 14. jahren.

✠ Wür der vorgenante Herzog Rudolff sterken disen brieff mit der unterschrifft unser selbs hand ✠.

Hæ literæ utrúmque quidem & S. Stephani & OO. SS. nomen conjungunt, at ita tamen ut prius antiquiúsque fuisse S. Stephani, recentius verò atque tunc primò temporis datum OO. SS. apertè his verbis indicent: Pharrkürchen ze allen Heiligen, die vorgenand ist ze Sand Stephan. Atque ab hoc deinceps tempore nomen illi sæpiùs utrumque tribui in Tabulis varijs reperi. Albertus certè III. Dux Austriæ in Privilegijs Academiæ à se Anno 1384. promulgatis, accuratéque citatis à Lambecio L. 2. Comment. de Bibliot. Cæsar. cap. 5. sequentibus verbis Rubrica XXXVII. templi hujus mentionem facit. Ordinamus, quod deinceps ex octo canonicatibus & præbendis Collegij nostræ fundationis in Ecclesia omnium Sanctorum, aliàs Sancti Stephani Wiennensi proximè vacaturis &c. Simile quid habet Bonifacius IX. in literis, his quibus Indulgentias ijs impertirur, qui in D. Catharinæ festo templum hoc piè visitant, sanctæque hujus Virginis reliquias venerantur, in quibus suis literis, quas apud me detineo ex Tabular. Senatûs Civici acceptas, hæc ipsa verba ponit:

Quòd in Ecclesia OO. SS. aliàs dicta S. Stephani oppidi sui Wyenne Patavien. Dioeces. quod notabilius ceteris oppidis suis & terris existit, inestimabilis reliquiarum verorum San-

ctorum

ctorum multitudo per Progenitores suos Duces Austriæ collocatarum & maximo auri & argenti ac lapidum pretiosorum ornatu decorata exstunt &c.

Datæ autem sunt hæ literæ Romæ apud S. Petrum IV. non: Junij Pontificatûs sui anno decimo.

Plura talia testimonia adduci à me possent, quibus manifestum fieret post erectionem in Collegiatam Ecclesiam huic OO. SS. nomen fuisse datum, adjunctis tamen plerumque vocibus illis: aliàs S. Stephani, quibus ipsis significari videtur, antequam ad OO. SS. templum hoc diceretur; nomen jam illud D. Stephani tenuisse. Verùm, omnia si enumerem, ultra præfixam brevitatem fusè nimium, vereor, nè libellus excurrat. Illud unum Lectorem moneo, etsi Rudolphus quidem omnium Sanctorum nomen illi indiderit, idque per annos non paucos in tabulis antiquis legatur, prævaluisse tamen ita successu temporis illud antiquius D. Stephani, ut illius jam propè memoria omnis interierit.

TITULUS IX.

De Ecclesiæ hujus in Collegiatam Erectione.

EXpeditis ijs, atque, ùt quidem arbitror, ritè statutis, quæ inter Scriptores plurimos de primo templi hujus nomine dubia, atque controversa hactenus videbantur, ad illud describendum transeo, quod non parum ad hanc ipsam superiori titulo agitatam quæstionem illustrandam, confirmandámque faciet, nempe quo tempore, quóve Autore hoc ipsum Cathedrale modò D. Stephani templum in Collegiatam primùm Ecclesiam erectum sit.

Fuggerus lib. 3. cap. 8. pag. 345. hac occasione id factum narrat; Transcripsisse nimirum Margaretham

cognomine Maultasch post mortem Ludovici secundi jam mariti sui, Tyrolis Comitatum Austriæ Principibus, idque Anno 1363. ob quod beneficium, tantæque Provinciæ accessionem ingratus nè Deo Rudolphus nominis hujus IV. videretur, refert eum Templum hoc D. Stephani à Parente inchoatum perfecisse, & Canonicos cum Præposito fundatos eidem addidisse. Verùm hanc ædificandi aut perficiendi templi Rudolpho occasionem causámque non fuisse, vel ex ipsis ejusdem Ducis literis superiùs à me titulo 3. citatis convincitur, quibus inchoatum à se jam Anno 1359. id est ætatis suæ Anno 20. hoc esse ædificium testatur. At verò nè hinc quidem ad fundandos Canonicos permoveri potuisse Rudolphum ex alijs quoque literis illius manifestum fit, quas in Tabular. Cathedralis Eccles. asservatas hîc reddo:

Mit dem Gewalt Gottes Vatters, der Weisheit, Gottes Sons, und der erleucht und Güetigkeit Gott des heiligen Geist, mit der mildigkeit unsern Frauen Gottes Muetter, mit der bett aller Gottes Heiligen und Engeln, und mit der einung der Warheit des heiligen Christlichen Glaubens. Wir Rudolph der 4te von Gottes Gnaden Erzherzog ze Ostereich &c. bekennen und tuen kund ewiglich mit disen brieff allen die in sehent, lesen, oder hören lesen die nun lewend, oder hernach kumpfftig sind, und sonderlich unsern Erben und nachkomen. Seid das der allmechtige Gott alle ding von nits gemacht hat, und das getheilt unter die geschöpft der menschen &c.

Refert deinde se, vivente adhuc Parente Alberto ejusdémque consilio ætatis suæ Anno 19. in Aula ad turrim

turrim neben dem Widmerthor Capellam ad honorem OO. SS. ædificâsse, demortuo verò jam parente, ubi Provinciarum suscepisset regimen, Canonicos illuc fundâsse, quos dein ob loci angustioris difficultates ad D. Stephani Parochialem ædem transtulit, petitâ quidem ad id faciendum ab Innocentio VI. Pontifice veniâ, sed ob intervenientem illius mortem non nisi ab Urbano hujus Successore concessâ. Addit præterea impetrâsse se, ut ab omni Episcoporum jurisdictione exempta, ac summo soli Pontifici immediatè subjecta deinceps in tempus reliquum dicta Collegiata fit Ecclesia, præterea ut rubris dicti Canonici utantur vestibus, quod ipsum se velle insinuat in honorem memoriámque profusi pro humano genere Sanctissimi Christi Sanguinis, ac tandem has ipsas literas sequentibus verbis claudit: Der Brieff ist geben, und ist die Sach geschehen, da man zelt von Xsti Geburt tausend treuhundert Jahr, darnach in dem 65. Jahr an dem Sontag in der Fasten, da man singt Oculi, unsers vorgenanten Herzog Rudolphs alters in dem 26. und unsers Gewalts in dem 7. Jahr.

Sub Innocentio igitur VI. dictus hic Dux Rudolphus, non dico fundandi, sed transferendi Canonicos ex Capella à se constructa ad templum hoc D. Stephani ampliatum veniam se petijsse his literis fatetur. Qui igitur fieri potuit, ut ad Præposituram, Collegiatámque erigendam Ecclesiam ob insignem Provinciæ Tyrolensis accessionem permotus sit? cùm Innocentius VI. jam Anno 1362. è vivis excesserit, Tyrolis verò (ùt ex Fuggeri verbis conficitur) non nisi anno 1363. à Maultaschia Rudolpho transscripta sit? Nam postquam is l. suo 3. cap. 8. pag. 342. retulisset Ludovicum Brandenburgensem Marchionem ultimum Margarethæ hujus conjugem Anno 1361. vita functum fuisse, Mein-

 har-

hardum verò filium, quem ex eodem ſuſceperat duos poſt Parentis mortem annos Margarethæ Alberti II. Auſtriaci Filiæ deſponſatum obijſſe, illico ſubjungit:

Wie nun die Gravſchafft Tirol abermals Man ledig worden, da berieffe Frau Maultaſch die Landherrn und mit ihren einrath, ward ſie entſchloſſen denen Gebriedern Rudolfen, Albrechten, und Leopolden Herzogen in Oeſtereich, als ihren nächſten anverwandten (dan ſie waren leiblich Geſchwiſter Kinder) die Gravſchafft zu übergeben und abzutretten, diſes vollzoge ſie noch diſes Jahr:

Si ergo Ludovicus 1361. obijt, nec illum, niſi duos poſt annos ſecutus eſt Meinhardus Filius; Anno jam poſt fundatos à Rudolpho Canonicos altero hanc Tyrolis ad Auſtriacas Provincias acceſſionem factam fuiſſe neceſſe eſt, nec hinc, ſed alia quadam de cauſa Religioſiſſimum Principem animos ſumpſiſſe ad pium hoc opus inchoandum evincitur. Non levior his ipſis è Tabulis Rudolphi hìc à me citatis error refutatur Lazij, qui Albertum Contractum ab alijs, ab alijs etiam Sapientem dictum Canonicos primùm ad D. Stephani templum fundâſſe his ipſis verbis l. 2. Comment. Genealog. Auſtr. pag. 228. refert. *Tradunt Annales hunc Principem prima fundamenta jeciſſe cum Academiæ Viennenſis conſtituto Collegio propè Arcem, non ita procul ab Auguſtinianorum templo, tum Capituli Viennenſis ad S. Stephanum empta domo ab Abbate Zwetlenſi, qui adhuc nomen vetus retinet, & altera pro Canonicis nova extructa.* Quam etiam opinionem hoc in opere ſequi ipſe ſatis apertè videtur. At non eget hic error Lazij contrarijs argumentis, teſtimoniiſque à me adducendis, quibus confutetur. Convincit optimus hic vir ſe ipſum erroris hujus, dum in alio opere Comment. ſcilicet de Rebus Viennenſ. l. 2. fol 59. apertè Rudolphum Alberti hujus filium Col-

legiatæ

legiatæ hujus Ecclesiæ, ejúsque Erectionis primum Autorem hísce statuit: *Horum itaque ductu, cùm Christiana Religio ita Viennæ excrevisset, ut non solùm templum auctius, sed res Ecclesiastica indies magis magísque locupletaretur, Rudolphus hoc nomine III. Austriæ Archi-Dux Cathedralem sedem ac prærogativam adjecit: Imo quadringentesimo post ruinam ejus anno postliminio in Fabianam hoc est Wiennam retulit, anno tum à Christo nato currente M. CCC. LX. & ab eo tempore, qui paulo ante Parochi erant, Præpositi deinceps nuncupati sunt, prædiorum Ecclesijs quorundam aucti atque ornati.* Rudolphus igitur primus omnium pietate sua, atque munificentia Duce digna Canonicos cum Præposito in Aula, ùt superiùs insinuaveram, fundavit, atque ubi ad Sacra hæc peragenda solennia Capellæ illius spatium angustum nimium videbatur, apud Innocentium VI. summum Pontificem literis egit, ut consentiente templi summi Parocho, juríque suo cedente, Præpositura hæc cum Canonicis in Parochialem D. Stephani Ecclesiam transferretur. Nec aliter ad eundem Pontificem scripsit Leopoldus Sachsenganger Plebanus Viennensis, qui ut Ducis voluntatem, votúmque promoveret sponte se juri suo cedere his literis in Tabular. Colleg. Ecclesiæ asservatis affirmat, quas reddo.

Sanctissimo in Xsto Patri, ac Domino Domino Innocentio Dei providentia Sacrosanctæ Romanæ, ac universalis Ecclesiæ summo Pontifici Leopoldus Sachsenganger Rector Parochialis Ecclesiæ S. Stephani in Vienna Patav. Dioeces. cum sui recommendatione humillima devota pedum oscula. Ad vestræ Sanctitatis aures non dubito devenisse, qualiter præclarus Princeps Dominus Rudolphus Dux Austriæ, Styriæ & Carinthiæ, Dominus meus genero-

ſus mox poſt deceſſum recordationis inclyti Domini Alberti Ducis Auſtriæ quondam ſui Genitoris in primordio terrarum ſuarum Regiminis, licet ætate juvenis, ſenex tamen moribus, Dei intendens Cultui Eccleſiam S. Stephani prædictam, cujus jus patronatûs & præſentandi ad eam Rectorem, dum vacat, ad ipſum devolutione hæreditaria dignoſcitur pertinere, quam ſumptuoſis ædificijs ornat, & ampliat, veſtra approbatione media in Collegiatam Eccleſiam redigere deſiderat, & intendit. Verùm cùm ex hoc Divinus cultus augeatur quàm plurimùm; dicta Eccleſia, rebus & honoribus extollatur; nec mihi in fructibus, & honoribus conſuetis & debitis detrimentum, vel præjudicium aliquod generetur, ego tanquam dictæ Eccleſiæ Rector matura deliberatione pluries præhabita præſertim cum viris prudentibus, peritis in jure Canonico ſpontè, liberè & ex certa ſcientia prænotatis Domini mei Ducis voto, intentioni & propoſito â plebe dicti loci deſideratis diutiùs, plenum, liberum, & expreſſum meum conſenſum adhibui, & adhibeo per præſentes &c.

Citat dein in teſtes hujus ſuæ reſignationis Joannem Electum & confirmatum Gurcenſem, Clementem item ad Scotos Viennæ & Joannem Chotvicenſem Abbates ordinis S. Benedicti. Ottolphum item Præpoſitum Neoburgenſem & officialem Paſſavienſem, qui & Sigilla ſua literis his ipſis appendebant. Poſtremò verò ſequentibus has ſuas Tabulas claudit.

Acta ſunt hæc Viennæ in Cœmeterio Fratrum Here-

Heremitarum S. Auguſtini II. idus Decembris horâ quaſi ſexta Anno Domini M. CCC. LIX. indictione duodecima Pontificatûs Præfati Domini Innocentij Papæ Sexti Anno VII. &c.

Permotus & Archi-Ducis precibus, & his ipſis Leopoldi Sachſenganger literis Innocentius VI. ſummus Pontifex annuere jam videbatur votis æquiſſimis, at quo minùs ea ipſa effectui darentur, præmatura ejusdem fata fecêre. Igitur ad Succeſſorem ejus Urbanum V. negotium omne devolutum eſt, qui & literis ſuis ad Gurcenſem & Laventinenſem Epiſcopos, tum ad Abbatem Monaſterij Scotorum Viennæ datis, translationem hanc Canonicorum non approbat modò, ſed, ut ea quàm primùm ab ijsdem executioni dentur imperabat. Literas has integras hic loci reddere viſum eſt, tum, quòd Rudolphi Archi-Ducis petitorias ipſas magna ſui parte inſertas exhibeant, tum quòd ad illuſtrandam rem præſentem maximè facere videantur. Tenor earum eſt ſequens.

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Venerabilibus Fratribus Gurzen: & Laventinenſi Epiſcopis, ac dilecto filio Abbati Monaſter. Scotorum in Vienna Patavienſ. Diœceſ. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Pijs votis fidelium, per quæ Divini Nominis cultus poſſit augeri, benevolum impertimur aſſenſum, illáque libenter favore proſequimur perpetuo. Olim ſiquidem pro parte dilecti Filij nobilis viri Rudolphi expoſitum: fel. record. Innocent. Pap. VI. Prædeceſſori noſtro, quòd idem Dux cupiens terrena in cæleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, deſiderabat, Capellam non Curatam per eum in caſtro ſuo

Viennæ Pataviensis Diœcesis ad Dei Gloriam, & honorem, & ejus cultûs augmentum, ac Parentum, & omnium Progenitorum suorum, & cunctarum aliarum fidelium animarum salutem in Collegiatam errigi, & in ea unum Gollegium seu Capitulum 24. Canonicorum, & unius Præpositi, qui eis præesset, & 25. præbendarum, quarum unam Præpositus, & singuli Canonici singulas obtinerent, statui, & unam Thesaurariam ac etiam alias dignitates, personatus, & officia, quæ per dictos tenerentur Canonicos creari; & quòd idem Præpositus duos, & singuli Canonici prædicti singulos Capellanos habere debent, qui cum ipsis, seu pro eis tempore infirmitatis vel absentiæ ipsorum in eadem Ecclesia obsequijs Divinis insisterent. Et quòd ipse Dux præmissus præbendam dictoPræposito assignandam de 300. & singulas præbendas alias prædictas ipsorum Canonicorum de 100. florenis Auri ponderis, & cunei florentini in perpetuis annuis redditibus de bonis sibi à Deo collatis dare, & eas in posterum in redditibus augmentare proponebat. Præfatus Prædecessor vobis per literas suas commisit, & mandavit, quibus vos vel duo vestrum dote ejusmodi primitùs realiter assignata eandem Capellam in Ecclesiam Collegiatam erigi, & in ea hujusmodi Collegium seu Capitulum 24. Canonicorum & unius Præpositi, qui eis præesset, & 25. præbendarum statuere, unam Thesau-

ſaurariam, ac alias hujusmodi dignitates, perſonatus, & officia creare, nonnulláque alia ſtatuere, & ordinationes, & alia ſtatuta juſta, & rationabilia pro vita ac regimine ac converſatione eorundem Præpoſiti, Canonicorum & Capellanorum, & pro hujusmodi cultûs augmento facere Autoritate Apoſtolica curetis, Jure tàm Parochialis Eccleſiæ infra cujus Parochiam dicta Capella conſiſtit, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, prout in ijsdem literis pleniùs continetur. Cùm autem, ſicut exhibita nobis pro parte dicti Ducis petitio continebat, locus in quo dicta Capella conſiſtit, pro præmiſſis ibidem faciendis nimis arctus exiſtat, nec poſſint ibi præmiſſa commodè adimpleri, ac ipſe Dux deſideret præmiſſa omnia in Parochiali Eccleſia S. Stephani in Vienna dictæ Diœceſis, in qua jus obtinet Patronatûs fieri ac adimpleri, & ad id dilecti Filij Leopoldi Rectoris dictæ Eccleſiæ accedat aſſenſus, itémque Dux quamlibet dignitatem, Perſonatum ſeu officium in eadem Eccleſia inſtituendum, ſeu inſtituendam ulteriori dote hujusmodi præbendarum de 50. florenis Auri dotare, & pro quolibet 26. Capellanorum, qui in eadem Eccleſia, ùt promittitur, perpetuo exiſtant, 40. florenos Auri in annuis perpetuis redditibus aſſignare proponat, nos ipſius Ducis in hac parte pium deſiderium in Domino commendantes ejus ſupplicationibus inclinati di-

ſcretioni veſtræ, de qua in his & alijs literis gerimus in Domino fiduciam ſpecialem, per Apoſtolica Scripta committimus, & mandamus, quatenus vos vel 2. veſtrûm dote hujus modi, promiſſis omnibus, & etiam prædictis annuis redditibus 40. florenorum pro quolibet Capellanorum ipſorum primitùs realiter aſſignatis eandem Eccleſiam S. Stephani in Collegiatam erigere, & in ea hujusmodi Collegium, ſeu Capitulum 24. Canonicorum, & unius Præpoſiti, qui eis præſit, & 25. præbendarum, quarum una illi, videlicet de hujusmodi 300. florenis Auri dotata fuerit; Præpoſitus & ſinguli Canonici ſingulas alias præbendas obtineant, ſtatuere, & unam Theſaurariam, & alias hujusmodi dignitates, perſonatus, & officia creare, ac ſtatuere, & ordinare. Quòd præfatus Rector, ſi illi placuerit, Præpoſitus ejusdem Eccleſiæ exiſtat, & curam Collegij, & Parochianorum dictæ Eccleſiæ gerat, & habeat; ſi verò ſibi non placuerit, eo cedente vel decedente, aut Eccleſiam ipſam, quomodolibet dimittente, Præpoſitus, qui erit pro tempore, hujusmodi curam tàm Collegij quàm Parochianorum gerat; & quòd idem Præpoſitus plenam in Spiritualibus, & temporalibus jurisdictionem habeat in Canonicos, etiam Theſaurariam, dignitates, perſonatus & officia hujusmodi obtinentes, & Capellanos prædictos, & eorum familiares, cujuscunque ſtatûs, vel conditio-

ditionis exiſtant, idémque Præpoſitus duos, & ſinguli Canonici prædicti ſingulos Capellanos habeant; qui,ùt præfertur, cum eis, vel pro eis in eadem Eccleſia Divinis inſiſtant, ipsique Præpoſitus & Canonici omnes horas canonicas, nocturnas videlicet & diurnas regulariter & ordinatè in eadem Eccleſia ſonora voce depromere teneantur, & alia ſtatuta & ordinationes juſta & rationabilia pro vita & regimine, ac converſatione eorundem Præpoſiti, Canonicorum & Capellanorum, & pro hujusmodi cultûs augmento facere Autoritate noſtra curetis, Jure tamen cujuslibet in omnibus ſemper ſalvo, conſtitutionibus Apoſtolicis, ſeu alijs contrarijs non obſtantibus quibuscunque, Proviſo, quòd ſolitus in eadem Eccleſia, & Miniſtrorum numerus pro cura animarum, & dictorum Parochianorum exercenda non imminuantur. Quódque præfatus Rector, qui nunc eſt, cui per hoc nullum præjudicium generetur, quamdiu hujusmodi curam dictorum Parochianorum geret, & eo cedente vel decedente Præpoſitus ipſius Eccleſiæ pro tempore exiſtens fructus omnes, redditus, proventus, obventiones & emolumenta ad Rectorem ipſius Eccleſiæ pertinentia percipiat, & habeat, ac hujusmodi miniſtris, ſicut prius providebatur in neceſſarijs providere, Juráque Epiſcopalia ſolvere, hoſpitalitatem tenere, & alia onera ratione hujusmodi curæ dictorum Parochianorum incum-

cumbentia ſupportare teneatur. Datum Avinione Nonis Auguſti. Pontificatûs noſtri Anno 2do.

Reperiuntur in eodem quoque Tabulario Collegiatæ Eccleſiæ literæ ejusdem Pontificis circa id tempus datæ, quarum initium addo.

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus Fratribus Gurzen & Laventinen. Epiſcopis, ac dilecto filio Abbati Monaſterij Scotorum in Vienna Paſſavienſis Diœceſis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Sincera devotio dilecti Filij Nobilis viri Rudolphi Ducis Auſtriæ, per quam ſe reddit altiſſimo, & Romanæ Eccleſiæ Matri ſuæ non ſine magnæ laudis præconio gratum multipliciter & acceptum, non indignè meretur, ut ſedem Apoſtolicam ſibi favorabilem, ac benignam ſentiat, & etiam liberalem &c.

Omitto hìc plurima (nam conformia maxima ex parte prioribus continent) ijs duntaxat recenſitis, quibus ampliora, quàm in proribus literis, privilegia Præpoſito ſubjectíſque illi Canonicis, huícque ipſi Collegiatæ Eccleſiæ impertitur. Scilicet ut Præpoſitus dictus, quo ad ea, quæ curam animarum ſpectant, ſubjectus quidem deinceps etiam ſit Diœceſano Epiſcopo, ceteroquin tum ipſe, tum Canonici omnes cum Eccleſia ipſa Collegiata ab omni Archi-Epiſcopi Salisburgenſis, & Epiſcopi Paſſavienſis jurisdictione eximantur, nec alteri cuipìam, niſi ſummo Pontifici immediatè ſubjecti ſint, addito tamen eo ſimul onere, ut in gratæ ob tantum à ſede Apoſtolica acceptum beneficium memoriæ ſignum in Annos ſingulos, Unum fertonem puri auri (verbis ipſius ſummi Pontificis utor) quod

16. flo-

16. florenos auri valeat, annis ſingulis Cameræ Apoſtolicæ in dicto feſto SS. Petri & Pauli ſolvere teneantur.

Indulget præterea Pontifex hic ſummus, ut ad dictæ Eccleſiæ Canonicatus, dignitates, & præbendas homines probos, dignósque præſentare Dux ipſe, ac Fundator Rudolphus, & poſt ejus obitum ſenior quique Ducum Auſtriæ poſſit, quorum admiſſio tamen ad Præpoſitum, qui eo tempore fuerit, vel Præpoſitura ipſa vacante ad Seniorem Canonicorum pertineat. Ad Præpoſituram verò ipſam, etſi præſentandi jus apud ſucceſſores Duces Auſtriæ perpetuò firmum ſtabiléque perſiſtat, confirmare tamen Præpoſitos ad ſedem duntaxat Apoſtolicam pertinere decernit. Addit demum & illud, ut prædictus Præpoſitus & mitrâ & pedo (ſeu ùt Pontifex loquitur) baculo paſtorali aliísque Pontificalibus uti inſignibus & ornamentis poſſit, dum divina officia in eadem Eccleſia obibit. Data quoque eidem poteſtate, Canonicorum cuilibet dictæ Eccleſiæ gravioribus urgentibúſque de cauſis veniam Facultatémque concedendi, ut per breve tempus ad alia loca diſcedant, atque ab Eccleſia ipſa ſacrísque perſolvendis ſolenni ritu officijs abſint, dolo tamen omni ceſſante, ſubſtitutóque in abſentis locum alio, qui debita & Eccleſiæ munia, & ſi quæ ſint præſtanda pia obſequia cum dignitate perſolvat &c.

Acceptis his Urbani V. Pontificis Maximi literis illico ad perficiendum commiſſum ſibi negotium Epiſcopi deſignati cum Abbate Monaſterij Scotorum ordinis S. Benedicti ſe ſe accinxerunt, brevique temporis ſpatio eò rem deduxêre, ut translatis ex ſacello Aulico Canonicis Eccleſia hæc D. Stephani in Collegiatam erigeretur, Præpoſitóque (nam Leopoldus Sachſenganger prior ejusdem & Eccleſiæ & urbis Curio, ſeu Plebanus omni ſe jure Parochi ultroneè abdicaverat)

rat)

rat) omnis & Canonicorum , & animarum cura deinceps demandaretur. Uti ex eorundem literis in Tabular. Colleg. hujus Ecclesiæ asservatis patet, quarum hic finem subijcio, ut translationis hujus tempus tantò certiùs intelligatur:

In præmissæ igitur nostræ executionis, ac omnium singulorum infra scriptorum testimonium evidens, & robur perpetuum nos præfati Gurzensis & Laventinensis Ecclesiarum Episcopi, & Abbas Monasterij Scotorum Viennæ Sigilla nostra huic processui duximus apponenda, quem quidem processum unà cum literis Apostolicis prænotatis apud dictam Ecclesiam volumus asservari. Ac demum cùm testes, qui actui huic intererant, recensuissent, Acta sunt hæc à nativitate Domini quo supra. Viennæ, scilicet Anno 1365. Dominica, qua cantatur Oculi, quæ erat 18. Calendas Aprilis Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris ac Domini nostri Urbani V. Anno 3tio indictione 3tia.

Recensitis his literis, quibus ferè tota primæ hujus fundationis, translationísque dein factæ ratio continetur, addendum omnino nil censeo præter unicum Haslbachij locum fol. mihi 80. quo de Præpositura ista, Canonicísque à Rudolpho constitutis in hunc modum disserit: *Hoc idem plurimùm apparet in magnifico opere circa Ecclesiam B. Stephani Proto-Martyris Viennæ, quam de Parochiali Ecclesia erexit ad Præposituram viginti quatuor ordinans præbendas Canonicorum secularium, quibus, & quoad vitæ necessaria providit habundanter, assignans eis comitatum in Weitenegk cum omnibus suis pertinentijs, & juribus, & alia nonnulla, ita ut pro quolibet Canonico cederent ducenti, ùt fertur, & amplius Du-*

cati,

cati, ob quod & eos pro cura animarum præfatæ Ecclesiæ deputavit, & habitum singularem, scilicet Cappam Cardinalium de Scarleto sartam rubeo, aurea cruce in pectore assuta, cum Rocheto albo eisdem Apostolica Autoritate præscripsit; arma etiam, scilicet 24. Alphabeti apices in campo rubeo, pro eorum differentia in senio ipsis deputare curavit. Magna profectò, atque stupenda ijs maximè temporibus optimi, Religiosissimíque Principis liberalitas, qui non censum duntaxat annuum, difficillimis etiam temporibus sustinendis parem, ingenti æris sui, ùt ita dicam, profusione ijsdem attribuit, sed & vestes ad decorem omnem splendorémque Principibus etiam tum viris inuidendum præscripsit. At non diu eo Rudolphi favore uti Canonicis licuit; nam cum is eodem adhuc Anno, millesimo scilicet tercentesimo sexagesimo quinto Mediolani, quo cum Fratre Leopoldo ad ejusdem cum Virida Bernabovis Filia nuptias celebrandas abierat, ê vivis excessisset, vestes primùm pretiosas has suas ponere canonici jussi, tum & parcè adeò reddi census annui ijsdem cæpti sunt, ut vix datos sibi à Fundatore titulos, atque munus sustinere pro dignitate possent. Utriusque hujus causam adfert Cuspinianus in Austria sua pag. 65. his verbis, quæ subijcio: *Illi Canonici fundati à Rudolpho IV. Duce Austriæ, quum Cathedralem Ecclesiam erexisset, & simul Gymnasium Viennense fundâsset, ordinémque dedisset, ut ex XXIV. Canonicis media pars ex Collegio juxta senium illuc assumeretur ex 4. nationibus, quibus constat universitas ex Australibus, Rhenensibus, Hungaris & Saxonibus: Ita enim omnes studiosi, qui illuc conveniunt discendi causa, partiuntur in has nationes, undecunque confluunt. Reliquam partem Canonicorum Princeps suis Ministris, qui sacris initiari volunt, sibi ad conferendum reservavit. Locupletavit eos censibus annuis, eísque 24. Sacellanos substituit cum quibus & ipsi horas canonicas psallerent. Dedit autem eis peculiarem habitum, quem non alibi in universo Christiano orbe reperies; Clamydem scilicet rubeam ex purpura,*

pura, ùt ferunt, Cardinalis vestem, cum Cruce gemmata in pectus pendente, Jussitque totidem fratres de monte Carmelo, quos Henricus primus Dux Austriæ D. Leopoldi filius fundavit, & suum illis Burgum, ùt alibi diximus, assignavit, eodem numero 24. in medio Canonicorum incederent, & Gentilitium Austriæ insigne repræsentarent, scutum scilicet rubeum cum albo inserto per medium. Sed quid facit luxus Hominum! Dum eorum fundator Rudolphus IV. Mediolani esset, ubi etiam vitam suam finivit, prædicti Canonici spernentes tam decorum, honestùmque habitum, clam Principe, indultu (ùt ajunt) Pontificis veterem abijcientes habitum, qui etiam Cardinalibus displicuit, nè sibi pares viderentur, communem aliorum Canonicorum habitum ex pellibus varijs scilicet Caputiâ sibi impetrant, ac assumunt supra lineas suas vestes superpellitia nominant. Id ubi intellexit Princeps fratrem rogat Albertum, ut hunc luxum canonicorum castiget, quod & fecit. Nam defuncto Rudolpho, cum Albertus à Canonicis suam & Fratris fundationem requireret, quibus ita erant dotati, ut singuli Canonici scilicet 200. aureos nummos Hungaricos quotannis perpetuò haberent, & ipsorum sacellani quadraginta aureos nummos ejusdem mensuræ, arreptis suis literis, quibus Fratris sigillum appendebat, discerpsit, in eámque redegit inopiam (si inopia dici potest) ut Sacerdotem vellet habere annuos florenos certos centum, aut circiter: Non ampliùs post multas etiam preces. Secuti sunt hanc Gusspiniani dein sententiam plures alij recentiores Scriptores, atque hos demum communis opinio; quin imò & sequi jam propè ipse meditabar, dum communicato negotio cum Reverendissimo ac Clarissimo viro quopiam Collegiatæ hujus Ecclesiæ Canonico, & à singulari pietate, & eruditione laudatissimo, geminum errorem Cuspiniani edoctus sum ex literis Urbani summi Pontificis, quæ in Tabulario Ecclesiæ hujus Colleg. asservantur, quarúmque initium hìc reddo: Urbanus Episcopus, Servus servorum Dei venerabili Fratri

Fratri Episcopo Brixinensi & dilectis Filijs Abbati Medlicensis, ac Præposito Neunburgensis per Præpositum soliti gubernari, Monasteriorum Patavienssis Diœcesis salutem & Apostolicam benedictionem. Viri Ecclesiastici, quos in Cunctis decet esse modestos &c. Insinuat dein Pontifex à Decessore suo Innocentio VI. Rudolpho concessum fuisse, ut Canonici ab eo fundati rubris vestibus uterentur, idque ab Episcopis Gurtzensi, ac Laventinensi, nec non ab Abbate Monasterii Viennensis Scotorum, qui ad exequendum Translationis hujus negotium Autoritate Apostolica designati fuerant, fuisse approbatum, etsi in literis suis, quas ad eosdem dederat, nullam hac super re mentionem fecisset. Laudat dein Canonicos dictos, quod & reverenter obedierint, atque vestes has rubras constanter tulerint; Videri tamen sibi innuit, vestes has ad pompam potiùs secularem, & ad imprudentum non nullorum scandalum, quàm ad religiosam esse, decentémque modestiam adornatas, hinc & eas his ipsis in literis geri deinceps vetat, aliásque Clericales, ceterísque aliorum locorum Canonicis consvetas, ferendas in posterum præcipit. *Datæ hæ literæ fuerant Avenione 12. Calend. Januarij. Pontificatûs sui Anno quinto.*

Ex quo apparet, quàm multiplici errore Cuspianus lapsus sit quámq; mala fide de mutatis Canonicorũ vestibꝰ scripserit: Non enim contemptu quodam, nec solùm (ùt prædictus Autor insinuat) indultu Pontificis, sed jussu Sanctæ sedis compulsi, vestes has, quas constanter hactenus ex Fundatoris mente, præscriptóque summo cum parendi studio gesserant, posuêre. Neque etiam Rudolphus ob id indignari, literásque ad Fratrem Albertum dare potuit, quibus, ùt eam inobedientiam, luxúmque Canonicorum castiget, petijsse eum à Fratre Cuspinianus meminit. Nam obijsse Rudolphum jam

Anno 1365. apud Eruditos omnes, ſcriptoréſque antiquiſſimos in comperto eſt, cùm tamen hæ ipſæ Urbani literæ, quibus mutari Canonicorum veſtes præcepit Anno Pontificatûs ſui quinto primò datæ ſint, atque ita quidem Anno à Nativitate Domini 1367.

Illud omnino Cuſpinano Conceſſerim (extant enim hujus certa indicia in Tabular. Colleg. hujus Eccleſiæ) ab eo propè tempore redditus annuos Canonicis his à Rudolpho attributos non parum minui cæptos, ità, ut plurimi eorum gravi rei familiaris penuriâ premerentur, atque ſucceſſu temporis in minorem eosdem numerum, quo hodiedum ſunt, redigere opportuerit; qua verò id ratione, quavè de cauſa factum ſit, ignoratur; fors temporum eorum difficultas, exhauſtúmque ærarium, fors perficiendo templi hujus magnifico ædificio ingentes faciendi ſumptus munifici aliàs Ducis liberalitatem exhauſêre; niſi fors Cuſpiniano dicere fas ſit, optimum hunc Principem Canonicis nil tale meritis indignatum, quod ſummi Pontificis voluntati juſsíſque parentes Purpuram poſuerint, atque inde Cenſus ijsdem imminuiſſe.

Expeditis igitur ijs, quæ ad Erectionem Collegiatæ hujus Eccleſiæ pertinebant, ordinem quoque ac ſeriem Præpoſitorum, qui Eccleſiam hanc usque ad erectum Epiſcopatum rexerunt, ſubijcere placuit. Eum apud Lazium reperio in Comment. de rebus Viennenſ. l. 2. pag. 60. quem & hic ſubnecto.

Wernherus primus Præpoſitus Cathedralis Eccleſiæ omnium Sanctorum ad D. Stephanum Viennæ à Rudolpho hoc nomine tertio Archi-Duce Auſtriæ inauguratur Anno M. CCC. LX.

Albertus à Garſio, ſive de Familia fuerat, ſive Parochus ejusdem loci, Præpoſitum Viennæ in omnium Sanctorum Cathedrali templo egit Anno ſalutis M. CCC. LXX.

Berctoldus Præpoſitus Wienn. M. CCC. LXXXII.

Antonius Præpoſitus Wienn. Anno M. CCCC.

Vil-

Vilhelmus Tuers de nobili Austriæ prosapia Anno salutis M. CCCC. XII. Præpositum Wiennens. egit Cathedralis ad D. Stephanum sive omnes sanctos templi.

Albertus Comes à Schaunburg Præpositum egit Anno M. CCCC. XL.

Jodocus Hansner J. U. Doctor Præposituram Wienensem administravit M. CCCC. LX.

Huic dein Catalogo subjungit Lazius. *A quo tempore Friderici tertij hoc nomine Austriæ Archi-Ducis, & in Imperio postea quarti auspicio, & ductu Præpositura Episcopatûs nomine & permutata & decorata fuit.* Verùm laborat & hìc vir optimus non paucis erroribus, quos, ùt refellam, meliorem, sinceriorémque Præpositorum seriem dabo, prout hæc in Tabular. Colleg. Ecclesiæ hujus reperitur.

Primus Præpositus fuit Dominus Joannes Mayrhofer, qui postea ad Gurtzensem infulam promotus obijt Anno 1402. 3. Januarij. Quod confirmant literæ ab Alberto Passaviensi Episcopo ad eundem Joannem datæ ipso Anno quo templum D. Stephani in Collegiatam erectum est, quibus ei, jam ad præpositi dignitatem evecto potestatem, Plebani ibidem munere fungendi tribuit, incipiúntque his verbis: Albertus Dei gratia Episcopus Pataviensis dilecto nobis in Christo Joanni dicto Mayrhofer Præsbitero nostræ Diœcesis &c. Uti eas videre est in Tabular. ejusdem Colleg. Ecclesiæ.

2dus Dom. Bertholdus Wehinger seu ùt Lazius scribit Wernher, qui dein Episcopus Frisingensis creatus est, atque è vivis abijt Anno 1410. mense Septembri die 7.

3tius Dominus Ceorgius de Liechtenstein Episcopali dein Tridentinæ Ecclesiæ mitrâ donatus.

4tus Fuit Antonius, qui humanis excessit Anno 1406. ad hunc Bonifacius Pontifex summus Anno Pontificatûs sui decimo, à Nativitate verò Domini 1398. Bullam dedit, quibus indulgentias amplissimas Eccle-

ſiæ huic concedit, quam ex Tabular. Senatûs Civici acceptam apud me etiamnum detineo, incipitque: Bonifacius Epiſcopus Servus ſervorum Dei dilecto Filio Antonio Præpoſito Eccleſiæ omnium Sanctorum in Wienna Patavienſ. Diœceſis Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Claudit veró: Datum Romæ apud S. Petrum IV. Non. Junij Pontificatûs noſtri Anno decimo.

5tus Dominus Wilhelmus Durſo, obiitque Anno 1439. poſtquam Eccleſiæ præfuit annos omnino 34.

6tus Dominus Conradus Zeideler, qui mortuus eſt Anno 1442.

7mus Alexander Cardinalis titulo S. Laurentij in Damaſo, Patriarcha Aquilejenſis.

8vus Dominus Albertus de Schaumberg.

Poſt hos vacaſſe per aliquot annos deprehendo Præpoſituram usque ad Annum 1480. quo erigi Epiſcopatus à Friderico cæptus eſt, ùt ipſe Præpoſitorum ordo in Tabular. Colleg. hujus Eccleſiæ deſcriptus apertè teſtatur.

TITULUS X.

De Epiſcopatu, atque Eccleſia Collegiata in Cathedralem erecta.

UT Imperij initia, progreſſus, felicitatémque omnem Pietati ſuæ Auguſta ſemper Domus hæc Auſtriacorum Principum debuit, ita Majorum Religio, Sanctúmque augendi Cultûs Divini ſtudium, quod tàm proſperis ſucceſſibus, Conſervatæque hactenus Majeſtati fulcri inſtar firmiſſimi fuerat, nova cæteris incitamenta attulit, ad illud omni, qua poterant, induſtria, ope, viribus promovendum. Vidimus ſiquidem hucusque tàm pretioſis, magnificíſque templum hoc ædificijs, tanto Sacrorum lipſanorum theſauro,

tot

tot annuis redditibus, tot honoribus, titulíſque auctum, ut deſiderari ad ſummum illius ſplendorem poſſe jam nil aliud videretur, quàm, ut Epiſcopali dignitate ceteris ejus ornamentis adjectâ, in Cathedralem quoque Eccleſiam erigeretur, quamvis nec iſtud deeſſe diutiùs paſſus ſit Fridericus ejus nominis tertius Cæſar Auguſtus, qui ad promovendum hoc pium negotium, quà literis, quà precibus, quà ſuſcepto demum ad ipſa Apoſtolorum limina permoleſto itinere; nihil laboris, induſtriæque, quod non tentáſſet, reliquit. Et verò faventibus Romanorum Pontificum literis compotem voti ſui haud diu poſt factum eſſe Fridericum, Cathedralíſque nomine hanc dein Eccleſiam auctam inter Autores ferè omnes quàm optimè Convenit; etſi non ita de Anno, quo nova hæc dignitas primùm Viennæ illata eſt, concors eorum ſit opinio, alijs cum Lazio id ad annum 1460. alijs ad 1465. non nullis etiam ad 1480. referentibus. Cauſam tàm diverſæ, in quam Scriptores abeunt, ſententiæ, complures illos annos dediſſe exiſtimo, qui ab impetrata erigendi Epiſcopatûs veniâ ad illud tempus interceſſerant, quo Leo de Spaur primus Viennenſium Antiſtitum præeſſe Eccleſiæ cæperat, dum alij fortaſſis ab illa, ab hoc rurſus alij Epiſcopatûs hujus exordia ſtatuunt. Mihi (quid quid ceteri ſentiant) non ante Annum 1468. erigendi Epiſcopatûs Friderico Cæſari poteſtatem factam eſſe vel ex ipſis Pauli II. literis manifeſtum eſt; quas etiam ad majorem fidem faciendam maxima hìc ſui parte reddo.

Paulus Epiſcopus Servus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Supremæ dignitatis ſpecula diſpoſitione ſuperna, quamvìs inſufficientibus meritis conſtituti, ad univerſas fidelium Regiones Curæ noſtræ Commiſſas ſic paternæ conſiderationis intuitum ſolerter ex-

tendimus; & ſic ad honorum eorum extollentiam, & ſublimationem intendere procuramus, quòd ex commendatione, ſuísque laudabilibus actibus fructus reportâſſe congaudeant, & ceteri Xſti Fideles eorum imitatione ad virtutum imitanda veſtigia eò ferventiùs excitentur. Attendentes itaque, ſicut fide dignorum habet aſſertio, imò & facti notorietas indicat, & chariſſimus in Xſto Filius noſter Fridericus Romanorum Imperator Semper Auguſtus, qui fervore diviniore accenſus, nuper ad viſitanda Apoſtolorum limina ad hanc almam urbem peregrè ſe contulit, nobis inter alia explicavit, oppidum ſuum Viennam Ducatûs Auſtriæ Patavienſis Diœceſis benedicente altiſſimo in Xſti fidelibus multiplicandis, Sacrorum, ac bonorum, & rerum omnium ubertate eſſe refertum, & in eo ſtudium in omnibus licitis Facultatibus vigere omnino: Inſignes viros quàm plurimos in Theologiæ, & Medicinæ, & Philoſophiæ Facultatibus, aliísque Facultatibus, artibus, Eruditionibus Commorare, Monaſteria quàm plurima utriusque Sexûs Perſonarum regularium, aliáque Sacræ rei templa, Hoſpitalia, & pia loca, in quibus Divinus viget cultus, & magna cum veneratione, & ſolennitate aſſiduè Divina officia celebrantur, conſiſtere, ipſiúsque oppidi populum, & Univerſitatem inter ceteras nationes Germaniæ adeò erga Deum, & Sacro-Sanctam Romanam Eccleſiam eximia

devo-

devotione, & fidelitate fulgere, quòd ex debito gratitudinis paſtoralis, & ipſius Imperatoris præclariſſimis meritis antecedentibus, eos Apoſtolica ſedes plurimis proſequi debet affectibus, & inſignibus majoribus decorare, & propterea reſpicientes devotis, & humilibus Imperatoris præfati petitionibus, ut detur annuere, atque ipſorum oppidi, ac populi merita Condignis honoribus compenſare, eóſque ſpiritualibus, ac temporalibus titulis inſignire. Poſt tractatum, quem iteratis vicibus ſuper his cum venerabilibus Fratribus noſtris Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus habuimus, diligenti, & matura denique, prout tantæ rei qualitas exigebat, deliberatione ſecuta, ex præmiſſis, & non nullis alijs rationabilibus animum meum inducentibus cauſis ad Divini nominis laudem, & Gloriam, exaltationem ſanctæ fidei, & ejusdem Divini cultûs augmentum, ac ſalutem Fidelium prædictorũ oppidi Viennenſis præfati ejus Territoriũ, & confines, quos præſentibus haberi volumus pro expreſſis, cum omnibus, & ſingulis Eccleſijs, Monaſterijs, Capellis, tum alijs Eccleſiaſticis, & pijs locis, nec non populo, incolis, habitationibus, ceteríſque Eccleſiaſticis, & ſecularibus appertinentijs, rebus quibusque, & bonis eorundem in eo, ipſiúſque territorio, & diſtrictu conſiſtentibus ab omni Jurisdictione, ſuperioritate, ſubjectione, & poteſtate Venerabilis Fratris mei Epiſcopi Pa-

taviensis moderni, & pro tempore existentis, ac dilectorum Filiorum Capituli Pataviensis, eorundem Vicariorum, & officialium Autoritate Apostolica, tenore præsentium, cum Fratrum eorundem Consilio prorsus eximimus, & perpetuò liberamus, ipsúmque Oppidum tanquam locum insignem, & ad hoc congruum, decentem pariter, & honestum in Civitatem Viennensem erigimus, & Civitatem esse, & perpetuis futuris temporibus nuncupari decrevimus. Ipsiúsque oppidi Collegiatam Ecclesiam, præposituram nuncupatam S. Stephani, aliàs omnium Sanctorum de jure Patronatûs Dilectorum Filiorum Nobilium Virorum Ducum Austriæ, & in qua Præpositura Decanus, Cantoriæ, & Custodiæ dignitates, & quàm plures Canonicatus & præbendæ, Vicariæ quoque & Capellaniæ institutæ, & à lege Diœcesana, ac omnimodis jurisdictionibus ejus Episcopi Pataviensis prorsus exemptæ fore noscuntur, in Cathedralem Ecclesiam præeminentijs, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, & insignijs congruentibus ipsius Ecclesiæ cum titulo Vienn. erigimus, & Episcopalis dignitatis honore & titulo insignimus &c.

Addit prætereа his in literis suis Pontifex, velle se, ut Ecclesiæ huic Episcopus præficiatur, idoneꝰ cujus jurisdictioni Territorium Viennense subsit, atque ut in hac ipsa Ecclesia Cathedrali, omnes aliæ dignitates, administrationes, Canonicatus in eo statu, quo ante erectionem hujusmodi fuerant, deinceps quoque permaneant

neant cum fructibus, & redditibus eorundem, ita tamen, ut omnia, & singula mobilia bona, quæ ante Episcopatum hìc institutum ad Præposituram actu vacantem, jure, usúque pertinuêre, unà cum Castro S. Viti haud procul Vienna siti dictæ Cathedrali Ecclesiæ accedant; nè tamen bonorum hac translatione damnum aliquod vel Præpositus ipse, aut Decanus Capituli patiatur, statuit his suis in literis dictus Pontifex, ut, donec dotem aliam, redditúsque omnes Fridericus Cæsar Præposituræ assignaverit, quod is quidem se facturum spopondit, ab his ipsis bonis, redditibúsque Cathedrali Ecclesiæ attributis, Census annuus Præposito, qui pro eò tempore, atque deinceps fuerit, tribuatur, quo pro dignitate sua & ali commodè possit, ac munia sua debitè, & cum decore obire. Indulget præterea Friderico Cæsari, ejúsque deinceps Successoribus Austriæ Archi-Ducibus jus præsentandi viros idoneos in Præpositum (ut verbis Pontificis utar) Decanum, Cantorem, & Custodem, nec non ad singulos Canonicatus & Præbendas, Vicarias, & Capellanias, hac quidem vice, ac quoties illas vacare contigerit: Data Præposito hujus Ecclesiæ potestate, instituendi eosdem ac confirmandi, ac demum has literas suas in hunc modum claudit dictus Pontifex:

Et nihilominus præfato Præposito & Capitulo condendi quæcunque rationabilia & honesta statuta, & ordinationes, prout ipsi Ecclesiæ congruere Conspexerint, etiam cum adjectione pænarum, & Juramento firmandi pro illorum observantia Autoritate præfata, tenore præsentium facultatem concedimus, & etiam potestatem; Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & alijs in contrarium facientibus non obstantibus quibuscúnque. Nulli

ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ exemptionis, liberationis, Constitutionis, Erectionis, Insignationis, Limitationis, statuti, voluntatis, rectificationis, & concessionis infringere, vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Divinæ 1468. quinto decimo Kalend. Februarij, Pontificatûs nostri Anno 4.

Verùm, etsi hoc anno erigendi Episcopatum Fridericus Cæsar à Paulo II. Pontifice potestatem, Facultatémque obtinuerit, ea tamen ipsa erectio non nisi post complures annos fieri potuit; partim, quòd tot molestissima per Germaniam itinera, quæ illi suscipienda fuerant, belli item, vel metus, vel pericula, turbatíque Imperij curæ arduæ, atque difficiles, ad alia negotia animum optimi, providíque Principis averterint; partim, quòd in assignando, quem Cæsar, Præposito, atque Capituli Decano promiserat, certo annuo Censu major, quàm credebatur, labor, difficultásque suborta sit. Perrupit tandem pium Friderici studium, & hunc quoque, qui ponebatur, obicem; assignavítque utrique eorum bona quædam, proventúsque annuos, quos Sixtus IV. dein Anno 1475. rati habuit, eámque quæ fieri debuit, mutationem, translationémque probavit, uti literæ illius testantur, quas & ipsas aliqua sui parte, prout inveni, hoc loco subjungo.

Sixtus Servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Pastoralis officij debitum, quo sumus universis Ecclesijs orbis obligati, mentem

tem noſtram aſſiduis perurget inſtantijs, ut adeò libenter intendimus, per quod Eccleſiarum, earundem præcipuè Cathedralium, ac in eis famulantium, & dignitatibus, & Eccleſiaſticis prædictarum perſonarum immunitatibus opportunè valeat provideri, & Xſti Fidelium quorumcunque præſertim Principum Catholicorum vota ad id tendentia favore benevolo proſequamur. Sanè ex parte Chariſſimi in Xſto Filij noſtri Friderici Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti nuper nobis exhibita petitio continebat; Quòd licèt aliàs Eccleſia S. Stephani, aliàs omnium Sanctorum, tunc oppidi Viennenſis in Cathedralem Eccleſiam cum Præpoſito, & Decano, & certis alijs dignitatibus, officijs Canonicatibus, & præbendis, Privilegijs, ac præeminentijs ad ipſius Imperatoris ſupplicationes Autoritate Apoſtolica erecta fuerit, nihilominùs Præpoſitus, & Decanus dictæ Eccleſiæ, de fructibus, redditibus, & proventibus Eccleſiaſticis, quibus ſtatûs ſui decentiam congruè recipere, & ſe commodè ſuſtentare, oneráque eis ratione Præpoſituræ, & Decanatûs dictæ Eccleſiæ pro tempore incumbentia ſupportare valeant, nondum ſufficienter proviſi, & dotati exiſtunt, & ſi Beatæ Mariæ Virginis in Bertholstorff, qui de jure Patronatûs præfati Imperatoris Romani Ducatûs Auſtriæ, & pro tempore exiſtentis Ducis Auſtriæ exiſtit, Præpoſituræ, & Sancti Martini in Medling,

ling, qui ad collationem, & permissionem Abbatis, & Conventûs S. Mariæ Virginis Gumeliæ, ordinis S. Benedicti, Parochiatus Ecclesiæ Pataviensis Dioecesis, & ruri Viennensi Contigui, & vicini existunt, Decanatui prædicto cum omnibus Juribus, & praeeminentijs suis perpetuùm unirentur, annecterentur, & incorporarentur; procul dubio Præpositus, & Decanus dictæ Ecclesiæ ex crescentibus eorum redditibus statum suum decentiùs tenere, & se sustentare, oneráque prædicta commodiùs supportare valerent, decoríque, & venustati dictæ Ecclesiæ Viennensis, tum Divini cultûs augmento opportuniùs consuleretur. Quare pro parte dicti Imperatoris nobis fuit humiliter supplicatum, ut B. Mariæ in Berchtolstorff Præpositurae, & ad S. Martini Parochiales Ecclesias prædictas, cum omnibus, & singulis eorum annexis, & Capellis Decanatui præfato perpetuò unire, annectere & incorporare, alijsque præmissis oportunè providere, & benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur &c. Autoritate dein Apostolica dictas Ecclesias cum omnibus ijsdem annexis Juribus Præposito & Decano transscribit, ita quidem, ut easdem Ecclesias vel per se, vel per Vicarios constitutos, deinceps Præposito, atque Decano administrare, ipsísque receptos exinde redditus, vel in usus suos, vel in Ecclesiæ ipsius bonum, utilitatémque convertere jus, fásque sit, etsi ne Dioecesani sui hac super re consensum, voluntatémque exploraverint. Eximit deinde easdem Ecclesias, cum omnibus ad illas pertinentibus rebus, & juribus à jurisdictio-

dictione Pataviensis Diœcesis, eásque Episcopo solùm Viennensi, quoad jurisdictionem ordinariam subijcit; tandémque unionis hujus confirmationem his verbis claudit: Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, quadringentesimo septuagesimo quinto tertio Idus Junij Pontificatûs nostri anno quarto.

His itaq; ritè statutis, Anno tandem M.CCCC.XXC. Leo de Spaur primus omnium à Friderico Cæsare Urbi huic, atque Ecclesiæ Antistes datus est, dignus eo honoris gradu, tum ob generis nobilissimi splendorem, tum verò ob insignia virtutum decora, quibus plus ornamenti Viennensi dedisse Infulæ visus est, quàm ab ea accepisse. Patria illi Tyrolis fuerat, Austria verò & pij simul laboris palæstra, & theatrum gloriæ, in qua non procul Vienna Curionis eum, vel ùt alij dicere malunt, Plebani munere functum esse, testimonia certa extant in Tabulario Collegiatæ Ecclesiæ. Inde ad Episcopalem Mitram, dignitatémque evectus, Ecclesiasticæ libertatis, juriúmque fortissimum se se assertorem exhibuit, dignus, quo nova Ecclesia diutiùs frueretur, nisi præclara ejus merita, jam cœlo matura dignis cumulare præmijs Clementissimum Numen properàsset; Anno siquidem M. CCCC. LXXXV. Episcopatu simul, ac vitâ excessit, cui eodem Anno Bernardus à Friderico suffectus est.

Bernardus hic cognomento de Rohr Anno M. CCCC. LXXVI. communibus suffragijs in Salisburgensem Episcopum electus est, qua tamen dignitate ha'ud diu eidem potiri licuit; cùm enim Diœcesim, terrásque suas à Mathia Rege miserum in modum devastari, arces sibi, atque Ecclesias eripi, ferro, ac flammis partem deperdi maximam cerneret, ultro abdicatam Infulam Fratri suo Joanni Archi-Episcopo Strigoniensi cessit, vitam publicis sine honoribus exigere statuens, quos infaustos sibi, perniciosósque experiebatur. Verùm

nec diu eidem privatam vitam agere fas fuerat, ad Episcopatûs nempe Viennensis mitram à Friderico Cæsare Anno M. CCCC. LXXXV. vocatus est; quam etsi promereri, gerere tamen non potuit, obtinente circa id tempus Viennam Mathia Rege, qui geminos alios, quorum paulo post mentio à nobis fiet, hac dignitate, exclusô Bernardô, ornavit. Duabus amissis his infulis vitam sustentavit è Fratris Joannis Salisburgensis tunc Archi-Episcopi liberali submisso subsidio, à quo in Años singulos 4000. Rhenenses accepisse dicitur, donec demum Anno M. CCCC. XCI. è vivis excessit, publico, dignóque Archi-Episcopo funere Salisburgi elatus.

Tertium in Episcoporum Viennensium ordine reperio Urbanum. Charus is præ primis Mathiæ Regi fuerat, cujus & Ecclesiastem, & Quæstorem egit: Functus præclarè utroque hoc munere, ampliùs sibi Regis animum, favorémque devinciebat, ita ut post occupatam ab illo Viennam, ejus quoque Insulâ donaretur, excluso, ùt paulo superiùs meminimus, Bernardo; quem ad dignitatem hanc capessendam Fridericus Imperator destinaverat. Præfuit huic Ecclesiæ usque ad Annum M. CCCC. XC. quo vita simul, atque Sacris his honoribus est defunctus.

Subrogatus est eidem hoc ipso Anno, qui & Mathiæ Regi ultimus fuerat Joannes. Vir hic erat ingenti Divini honoris Zelo, promovendæque Religionis studio præditus, ob quod & ab ipsis Fidei nostræ hostibus non raro dilaudabatur. Vesprimiensis antea Antistitis titulos gessit, & dignitatem, ea quidem laude, ut dignus haberetur, qui & Viennensi hac in Urbe nostra nova dein Episcopali mitra ornaretur. Gessit hanc Annos propè novem, pari, ùt priorem, cum dignitate, pari Religionis ardore, donec tandem Anno salutis M. CCCC. IC. fatis concessit.

Non diu ab ejus obitu hæc sedes vacaverat, in magni enim Antistitis locum non inferior, seu Pietatem spectes, seu Religionis Zelum, eodem adhuc anno suffectus

fectus est Bernardus L. B. de Bolhaym. Illustrem hunc Stirpis avitæ, Sanguinisque claritas, magnum Eruditio, Insignem virtus, singula denique dignissimum eo honoris fastigio reddidêre, indignus sibi omnium uni, ut videretur, maxima tamen animi sui demissio effecit. Raro siquidem, ac penè inusitato exemplo promereri hanc dignitatem maluit, quàm sustinere. Non recusavit labores, sed honoris duntaxat titulos aspernatus est. Nunquam Episcopus audire voluit, sed Administrator. Ita per annos complures Episcopus sine mitra, dignitatisque insignibus Ecclesiæ præfuit, scilicet usque ad Annum M.D XIII. vel hoc ipsoMaximis Præsulibus comparandus, quod paucos præeuntes illi, paucos & nostra hæc tempora illius videant æmulatores, & sequaces.

Viduatam ùt ita dicam, Infulam digniori vertici imponere Maximilianus Cæsar non poterat, quàm dum eam Anno M. D. XIII. Georgio à Sclavonia dicto tradidit, assentiente ipso Leone decimo Pontifice Maximo. Vir erat jam tum à Sapientia, prudentiáque singulari plurimùm commendatus, cùm ad hunc ipsum Augustum Cæsarem per annos plures Sacro è pulpitio verba faceret, quæ in Administranda dein Viennensi hac Ecclesia clariùs, illustriúsque effulsit. Anno M. D. XV. in Divi Stephani æde ad Aras fecerat mitrà insignis, ea in coronatorum Principum, Præsulúmque frequentia, qua parem vix unquam Vienna nostra viderat. Intererat tum Sacris Maximilianus Cæsar ipse, tum Sigismundus Poloniæ, atque Uladislaus Hungariæ Reges serenissimi. Aderat & Ludovicus Hungariæ Regis Filius cum Anna Sorore, quorum Sponsus hic Mariæ Castellæ Infantis erat, Sponsa illa Ferdinandi Austriæ Archi-Ducis. Ornamentum insuper non vulgare adjecerunt tot mitris decorata capita; Comitatos nimirum hos Principes fuisse, & Thomam Archi-Episcopum Strigoniensem, Mathæum Gurcensem, Collozensem, & Bremensem Archi-Episcopos lego, Georgium item

quin-

quinque Ecclesiensem, Mathiam Vratislaviensem, Stanislaum Olomucensem, Joannem Ratisbonensem, Ladislaum Vaciensem, Wigolæum Passaviensem, Christophorum Labacensem, Petrum Primislaviensem Michaëlem Bosniensem, Bertholdum Chiemseensem Episcopos, inter quos ad Aras Sola Viennensis Infula eminuit. Præfuit Ecclesiæ magna cum laude, inter Cæsaris non solùm favores, sed & amores Populi Annis decem, finémque & gloriæ, & vitæ imposuit Anno M. D. XXIII.

Dignus hinc quærebatur tanto Præsuli successor alius; at melior reperiri nequiit Petro Bononio, ab Infula Tergestina, quam plures jam per annos magna cum virtutis fama gesserat, jam longè clarissimo. Accersitus hic Viennam, & Ecclesiæ commodis Antistes consuluit plurimùm, & emolumento publico Cameræ simul Præses, inter amores omnium, populique laudes solerter prospexit. Fractus tandem non tàm senio, quo jam Cœlo maturus erat, quàm laboribus exantlatis, eodem Anno, quo Viennensi Ecclesiæ præesse jussus est, Millesimo scilicet quingentesimo vigesimo tertio paucos post menses extinctus.

Hujus post obitum vacare diu haud debuit Ecclesia Viennensis, ad manum siquidem, atque in ipsa Archi-Ducis Aula vir erat, & meritis gravis, & sacris his honoribus dignus Joannes à Revellis, quem & Ferdinandus Archi-Dux Austriæ Pastorem eidem breve post intervallum præfecit. Ad hanc dignitatem priusquàm eveheretur ab Eleemosynis fuisse, dicto Archi-Duci legitur, quo in munere ita versatus est, ut eam in Egenos liberalitatem edoctus videretur, quam ut Præsul dein constanter exercuit, Pauperum omnium asyllum, atque refugium, miseræque plebis Parens optimus ex merito dictus. Præfuit Annis duntaxat octo, Anno nimirum M. D. XXXI. ad tàm profusæ, in egenos omnes liberalitatis præmium, ac mercedem in cælum evocatus est.

Successit eodem Anno Joannes Faber magnæ vir doctrinæ, virtutis maximæ; Illa Sacræ illum Theologiæ Doctorem, hæc Ferdinandi Romanorum Regis conscientiæ Arbitrum, moderatorémque constituit; utraque ad Episcopalis honoris fastigium eundem evexit. Hoc in Sacro munere etsi laboribus plurimis distineretur, multos tamen, doctósque prælo subjectos codices reliquit. Inter ceteros Orationes ad Principes Christianos adversùs Turcas edidit, multáque de rebus ad fidem pertinentibus, atque in ea controversis scripsit, Amans non literarū minùs, quàm Literatorum omnium Fautor eximius. Testantur id volumina plurima, quibus Universitatis huius Bibliothecam instruxit, & ornavit. Obijt tandem Anno M. D. XLI. magnâ doctrinæ suæ virtutísque famâ apud bonos omnes relictâ.

Qui Anno M. D. XXXVIII. Joanni Fabro in Episcopatu Coadjutor datus est, idem Anno M. D. XLI. vacantem ab illius obitu dignitatem Sacram pleniori jam jure obtinuit, Fridericus scilicet Nausea. Magnum & eo tempore inter eruditos nomen. Coævus cùm Luthero, Calvinóque fuerat, palæstram nactus est, in qua Religionis simul, & literarum studium exerceret, & palmas, laurósq; meteret. Jus è sacro codice Magister docuit, & è pulpito sacro ad Viennensem populum veritatem fidei propugnavit, libris posthumis Sectariorum errores egregiè confutavit. Assertor, Propugnatórque Religionis veteris, Tridentino interfuit Concilio, postquam illud Paulus III. Pontifex Maximus Anno M. D. LI. instaurâsset, ubi etiam laboribus immortuus est Anno M. D. LII.

A Neostadiensi Ecclesia ad Viennensem suscipiendum Episcopatum post Friderici funera evocatus est Christophorus Wertwein Anno M.D.LII. XVIII. Februarij, postquam Consiliarij priùs apud Ferdinandum Romanorum Regem munus, tum & conscientiæ illius Arbitrum egisset. Charus non minùs Principi, ac popu-

lo omni. Vir erat ſpei maximæ, niſi eum citiùs, quàm credebatur, invida fata eripuiſſent, altero ſiquidem ab inito Epiſcopatu Anno, Menſe Aprili humanis eſt ereptus.

Mitigatus eſt brevi dolor urbis hujus ob amiſſum ſuum Præſulem, cùm parem virtute, vigilantiâ, zelóque Religionis in Antonio de Mugliz invenit. Crucigerorum Stellæ rubræ ſupremus per Bohemiam, Moraviam, Poloniámque hic Magiſter fuerat, antequam ad Paſtoris Inſulati munus Viennam evocaretur; quo in munere, cùm ante ſuſceptum Eccleſiæ hujus regimen ſtrenuus jam Fidei, Religioniſque defenſor audiret, à ſacris his ipſis honoribus, ad majora in fidei hoſtes audenda animos, viréſque ſumpſit. Dignus proin habitus eſt, qui ad altius dignitatis faſtigium eveheretur, Inſulam namque Viennenſem, quam Anno M.D.LIII. obtinuit, cum Pragenſi commutare juſſus, ex Præſule Archi-Præſul factus eſt Anno ſalutis noſtræ M.D.LXII.

In hujus locum ſubrogare placuit Urbanum Epiſcopum Gurcenſem, qui præter Eccleſiam ſuam per plures annos Viennenſis quoque Epiſcopi munus adminiſtravit, charus adeò Principibus, tum ob virtutem eximiam, tum ob rerum, negotiorúmque tractandorum peritiam, ùt Imperator eum ſibi à Conſilijs eſſe, Palatiníque Comitis dignitatem ſuſtinere voluerit; Carolus verò Archi-Dux in intimum Conſilium eundem adlegerit, apud quem & Eccleſiaſtis Aulici munere non ſine laudum ampliſſimarum encomio functus eſt.

Virtus & Doctrina inſignis poſt Urbanum Eccleſiæ Viennenſi Epiſcopum dedit Joannem Caſparum Neubeck, qui Friburgi Briſgoiæ è Sacro ſimul, ac Scholaſtico pulpito antea Doctorem egit, Magnifici inſuper Rectoris ibidem munus, titulóſque ſuſtinens, tandem Anno M.D. LXXIV. à Maximiliano II. Cæſare, Epiſcopus nominatus, Anno ſequenti à Gregorio XIII. confirmatus, atque à Stephano Feierkuvio Veſprinienſi Epiſcopo conſecratus eſt. Præſuit Eccleſiæ huic inter

labo-

labores plurimos Annis omnino viginti, piéque, ùt vixit, obijt Anno M. D. XCIV.

Dubium videri meritò poterit, plúsne in exornando, provehendóque Melchiore Kleſelio Auſtriacorum Principum favor, an Romanorum Pontificum munificentia laborârit. Utrisque plurimùm auctæ dignitatis ornamenta debuit; at initia eorundem ſoli Rudolpho II. Hic eum ex Sanctiſſimi Domini noſtri Alumno, Cathedralis primùm hujus Eccleſiæ Præpoſitum, Univerſitatis Cancellarium dein, & Rectorem Magnificum ſtatuit. Quibus gradibus uſus, facilè ad altiora conſcendit, Neoſtadienſis enim ſimul, ac Viennenſis Eccleſiæ Adminiſtrator dictus, eâ prudentiâ, virtutéque præfuit, ut Anno 1602. XXIX. Januarij ſolenni ritu Viennenſi Inſulâ ſit inauguratus, conſentiente ſummo Pontifice, ut & huic Neoſtadienſem mitram conjungeret. Exhaurire cumulati cum honoribus labores alterius vires poterant, at non ita Kleſelij animum, cui aucta dignitas novo incitamento fuerat ad majora indies honorum merita cumulanda. Nec vinci ſe paſſa eſt Principum liberalitas, cum ſiquidem Mathias I. Conſilij intimi directorem Anno M. DC. XIV. creavit, Paulus V. Anno M. DC. XVI. in Purpuratorum Eccleſiæ Principum Collegium adlegit. Altiùs jam in humanis ſurgere cùm vix poſſet, Anno tandem M. DC. XXX. ætatis 77. die 18. Septembr. virtutum, patientiæque meritis gravis cœlum petijt, etiam poſt mortem Viennenſi Eccleſiæ gratus, cujus in bonum ſenos in Cæſareo S. J. Convictorum Collegio Alumnos inſtituit.

Demortuo Kleſelio Provida Cæſaris Ferdinandi cura non minoris virtutis Antiſtitem ſubſtituit Antonium Wolffrath, qui pari propè gradu, quo Deceſſor ſuus, adſummum dignitatis culmen eſt eluctatus. Romæ primùm Theologica placita cùm propugnaret, Purpuratos Eccleſiæ Principes Baronium, & Bellarminum Antagoniſtas magna ſui cum laude ſuſtinuit; Theolo-

 gica

gicâ ſubinde purpurâ ornatus Gremiſani Abbas præeſſe quidem ſuis juſſus eſt, at nobilior illum Viennenſis Eccleſiæ mitra expectabat, qua favore Ferdinandi II. Anno M DC. XXXI. ornatus eſt. Hic primus omnium celſiſſimi Principis titulos ab eodem Cæſare obtinuit, eósque ſucceſſoribus deinceps ſuis perpetuos transmiſit: Qui eidem quoque & Aulam magnificè conſtructam, & refertam præſtantiſſimis libris Bibliothecam referre in acceptis debent. Curis Eccleſiæ negotia quoque Reipublicæ conjunxit; dum à Cæſare Auguſtæ Cameræ Præſes præfectus, intimúmq; in Conſilium adſcitus eſt. Tot laboribus exhauſtus lugente Eccleſia Anno M. DC. XXXIX. obijt, famâ inſigni virtutis, Prudentiæque apud Poſteros relictâ.

Auctam nova Principis dignitate ab Antonio Eccleſiam, mirâ vitæ Sanctimoniâ ſucceſſor ejus illuſtriorem multò reddidit. Erat is Philippus Fridericus è Comitibus de Breuner, vir & morum innocentiâ, & pietatis ſtudio, & virtutum omnium ornamentis inſignis; quem ad Epiſcopales Infulas Anno M. DC. XXXIX. Ferdinandus III. promovit. Nihil in hoc honoris faſtigio à veteri demiſſione animi, nihil à probitate, Sanctimoniáque vitæ remiſerat, tantò ſibi ipſi vilior, quò major alijs, veneratiouéque dignior videbatur. Raro Epiſcopus exemplo deferre Sacrum perſæpè viaticum ad moribundos ipſemet viſus eſt, nudis etiam non nunquam ob tanti Numinis reverentiam pedibus, nocturno maximè tempore, nè à pluribus obſervaretur. Quàm pius in Deum, tàm liberalis in hanc Divi Stephani Baſilicam extitit, quam plurimis ornamentis, ſacrisq; apparatibus auxit impendio facilè 61475. Rhenenſium. Sanctè ùt vixit, ita ſanctè obijt Anno M. DC. LXIX. ætatis ſuæ 72.

Orbatæ Eccleſiæ de novo Paſtore providit Leopoldi pia cura, dum eidem Vildericum L. B. de Wallendorff præfecit. Ad maxima virum hunc natum, factúmque eſſe, prima in ætate virile ingenium,

Con-

Consiliíque ferax ejus animus prodidit. Primo enim annorum in flore inter Consiliarios adlectus, mox etiam Imperij Pro-Cancellarius dictus est, in qua utraque dignitate, & Sagacitatem animi sui miram, & velocitatem in dandis, capiendísque Consilijs singularem probavit. Tàm benè meritum à profanis negotijs ad Sacratiora Leopoldus Cæsar Anno M. DC. LXIX. transtulit, Viennensíque Infula donavit, quam per annos 10. gessit, scilicet ad annum usque M. DC. LXXX. quo post labores ad præmium immortale transivit.

Non sublimes duntaxat, nobilésque vertices, sed & humile quandoque caput Infulæ ambiunt; quod si aliàs unquam, certè in Emerico Sinelli evenit. Vir magnis naturæ, animíque instructus dotibus, ut honores fugeret, latere in claustro voluit, ordinem Fratrum minorum S. Francisci reformatorum, quos Capucinos vulgò dicimus, ingressus, at non abdere ita, celaréque egregia ornamenta animi poterat, quin ea Sacra illius Eloquentia, qua polebat plurimùm, longè latéque divulgaret. Hinc fama de illo, ingénsque existimatio in populo, atque in Leopoldo Cæsare ipso præclara de illo suborta est opinio, quæ illi & honores amplissimos peperit. Nil enim tale meditantem Pijssimus Princeps Anno M. DC. LXXX. è Monasterio ad urbis suæ Infulam evocavit, qua dignitate auctus vestem posuit, non animum semper sibi constantem. Etiam Episcopus Sacris sæpiùs è rostris pro concione dicere auditus eo ardore, verborúmque pondere, ut non nisi Emericus Facundus à populo audiret, qui multis etiam lachrymis Anno M. DC. LXXXV. demortuum est prosecutus.

Illustravit vacantem rursus post obitum Sinellij Viennensem hanc Infulam, novo non tàm generis sui, quàm virtutum insigni splendore Ernestus è Comitibus de Trautson ad hanc à Leopoldo Cæsare assumptus Anno M. DC LXXXV. Nihil non erat in illo magnum, seu sanguinem, seu Pietatem, seu literas spectes; at

eminuit ſuper cetera inſignis illius in indigos munificentia. Experti hanc præprimis ſunt mendicantium Aſceteria, & ordines, ac Religioſæ propè Domus ſingulæ, tum verò ipſa Divi Stephani hæc Sacra Baſilica, quam aris, & ornamentis compluribus, magnique pretij rebus auxit, & ornavit. Tàm præclaræ erga Deum liberalitatis mercedem ut inter cœlites reciperet, ex hac vita abijt Anno M. DCC. II. 7. Januarij.

Quæ alijs honorum culmen fuerat Viennenſis mitra, hæc Franciſco Antonio pro gradu ſervijt, ut ad altiora conſcenderet. Ex Comitum de Harrach Illuſtriſſima, Nobiliſſimáque ortus Proſapia, literas, virtutem, rerúmque gerendarum peritiam, quarum ſingulæ magnum eum reddere poterant, ita arctè cum magno conjunxit genere, ut quam præ ceteris dotem in illo æſtimet, nemo facilè prudens, ſapiénsque diſcernat. Æſtimavit collecta in illo hæc ornamenta omnia adeò Leopoldus Cæſar, ut cùm de ſufficiendo digno Præſule providè circumſpiceret, aptiorem inveniret neminem Franciſco Antonio. Et certè meliorem neque deligere Sagaciſſimus Cæſarum potuit, nec dignior Eccleſiæ obtingere. Illud ſolùm doluit Vienna omnis, tàm citò amorem ſibi ſuum ablatum; ſi dolere tamen potuit, illi, quem tanto amore complectebatur, novum honoris, dignitatíſque decus multò præſtantiùs acceſſiſſe; Salisburgenſi nempe Eccleſiæ Archi-Epiſcopus delectus, magnam Inſulam Viennenſem cum ampliori mutavit. Fruitur hac etiamnum ad publicam utilitatem, bonorúmque omnium emolumentum, atque ad inſigne quoque Maximæ Familiæ decus, ac gloriam, fruetúrque in ſeros deinceps Annos, quando tot ſubditorum devoti animi, nunquam ceſſabunt pro amantiſſimi Principis ſui, optimíque Patris longæva incolumitate, precibus, ſuſpiriiſque clementiſſimum Numen interpellare.

Promoto ad Salisburgenſis Archi-Epiſcopatûs dignitatem Franciſco Antonio, Præſul Viennæ, ſucceſſórque

que datus est Franciscus Ferdinandus ex Baronibus de Rumel. Natus is in hanc lucem fuerat Anno M. DC. XXXXII. ipso die SS. Simoni & Judæ Sacro. Indolem à primis incunabulis & bonam, & scientiarum capacem omnium nactus. Absolutis subinde Ingolstadiensi in Academia literarum studijs ob præclaras animi dotes, ingeniúmque artibus propè omnibus instructum, dignus judicatus est, quem Leopoldus Magnus in Aulam suam accerseret, eíque Primogenitum suum, Imperiíque Sceptris gerendis destinatum Archi-Ducem Josephum probè literis, scientiísque excolendum tradderet. Tàm splendido non minùs, quàm laborioso muneri in Annos 12. Franciscus præfuit, eâ providâ curâ, eâ industriâ, atque laude, ut & Serenissimi sibi Filij, & Augustissimi quoque Parentis amorem, favorésque non exiguos conciliârit, qui tàm largè in eum profundebantur, ut Episcopus primùm Tinniensis, Præpositus dein ad S. Crucem Vratislaviæ, Scholasticus in Grofs-Glokau, ac demum Præpositus Ardaggensis sit designatus. Sufficere hæc videri poterant Francisco impensi laboris sui præmia; at minora illa omnia, nec satis Majestate sua digna Clementissimus Cæsar Josephus I. arbitrabatur, qui quantùm viri hujus institutioni debeat apprimè noverat. Hinc ceteris favoribus, & Infulam quoque urbis hujus amplissimæ adjecit Anno M. DCC. VI. Gessit hanc Franciscus in annos complures ingenti cum approbatione omnium, virtutúmque suarum insigni laude, donec meritis plenus obiit, multis opibus, bonísque ditatam Ecclesiam cum dignitate amplissima successoribus suis relinquens.

Ad ultimum, atque ita ad ceterarum virtutum, quibus reliqui Antistites Ecclesiam hanc Viennensem exornârunt, omnium compendium devenio, scilicet ad Sigismundum è Comitibus de Kolloniz. Romana ille olim sapientiæ in sede Naturæ arcana, tum & Sacratiores disciplinas singulari ingenij commendatione edo-

ctus est, ubi etiam post breve intervallum ex utraque Arte Magister ex merito est renunciatus. Ita litteratos adeptus honores ad sacras quoque Ecclesiæ dignitates in Patriam redijt, vix enim ad Patruum suum, Purpuratúmque Ecclesiæ Principem Leopoldum Strigoniensem tunc Archi-Episcopum reversus est, cùm in Ecclesiæ illius Canonicum adlegeretur: Inde ad triplicem illi Infulam facilè gradus fuerat, Scutariensem primò, dein Vaciensem, donec & Viennensis illi favore, beneficióque Caroli VI. Augustissimi Cæsaris obtigit; quam tot tantísque virtutibus, fidéque in Maximum Cæsarem constanti præ alijs omnibus mereri videbatur. Non ignorabat nempe magnus Carolus ardentem in illo zelum, promovendæque Religionis studium, quo Vaciensis Antistes Calvini, ac Lutheri Asseclas omnes vel ad Romana Sacra reduxit, vel exesse urbi suæ voluit; non ignorabat providam illius munificentiam, curam, ac Solicitudinem, qua laborantis Ecclesiæ commodis liberalissimus Præsul prospiciebat, dum Episcopalem Vacij Aulam è ruinis reparavit, numero, & annuo censu Canonicos auxit, Cathedralis Templi ædificia restauravit, illúdque generis omnis ornamentis instruxit, Scholam demum etiam evocatis Vacium Magistris ad utilitatem publicam aperuit. Non ignorabat denique fidem illius in Augustissimam Domum suam Austriacam, quam nè amitteret in revolutione Hungariæ tàm Patriæ luctuosa, damna perferre maluit gravissima, necessarióque propè, quo victitabat, censu privari. His ille meritis Princeps Imperij, urbísque nostræ Præsul creatus est, his ijsdem, & favorem sibi Cæsaris, & Procerum studia, & populi universi amorem, venerationémque conciliat. His denique ad novos honorum titulos, quos favente nuper Roma Carolus ei Cæsar designavit, est eluctatus. Vidit nempe hucusque Vienna nostra XXII. suæ Ecclesiæ vel Administratorum, vel Antistitum nomine præesse Præsules, à virtute, literis, rebúsque gestis

maxi-

maximos, at in nullo præter Sigismundum Archi-Episcopi dignitatem eſt venerata. Hanc conferre eidem Cæſar nititur, jámque ſedes Romana annuit. Superi benigni Magnum Cæſarem cum Magno Præſule diu bono publico ſalvum ſervent, & incolumem, illum, ut Reipublicæ, Regnóque ſuo felix diu domi, bellíq; præſit, illud regat, & augeat, hunc, ut Eccleſiæ incrementis vigilans Archi-Præſul proſpiciat; illum, ut à Majoribus ſuis erectam Eccleſiam, tot dignitatibus auctam pietate planè, qua eſt, Auſtriaca, novis ornamentis, grandioribúsque exornet titulis. Hunc, ut deſtinatis à tanto Principe honoribus diu fruatur, eósque non niſi ſeros ad Succeſſores ſuos transmittat.

TITULUS XI.

De Sacro Theſauro hac in Eccleſia aſſervato.

NE in exornanda D. Stephani hac Sacra Baſilica ullum pietatis Auſtriacæ genus deeſſet, quam ſuperbo, raríque operis ædificio Principum horum munificentia antea ampliavit, annuis cenſibus liberaliſſimè inſtruxit, in Collegiatam primùm Eccleſiam, tum & Cathedralem erexit, ac denique in Metropolitanam etiam evehere hoc ipſo tempore meditatur; Theſauro quoque eam ipſam ornavit tantò pretioſiore, quò ſacra profanis longè ſemper potiora ſunt, Divina humanis. Sanctorum nempe Lipſana ex omnibus penè Provincijs huc advecta intelligo, quibus ita Eccleſia iſthæc inſtructa eſt, ut ſeu numerum ſpectes, ſeu pretium, nulli facilè per Germaniam ſaltem noſtram, Sacræ Baſilicæ ſit conceſſura. Ut templi ipſius, ita & Sacri hujus Theſauri Autor omnium primus, fundatórque Rudolphus IV. fuerat, qui nulli curæ, laboríque in Sanctorum corporum colligendis reliquijs, nullis in exornandis illis ſumptibus unquam pepercit, quin imò

gravia etiam ipſe, ac permoleſta ſuſcepit itinera, ut, ſi quod ſingularis pretij Sacrum pignus in vicinis Provincijs per Germaniam reperiretur, ſuis illud precibus impetratum ad D. Stephani Sacram Viennæ ædem referret; quod Archi-Ducis ipſiꝰ litteræ in Tabular. Colleg. Eccleſiæ aſſervatæ teſtantur, quas hic reddo, tum ut pium hujus Principis ſtudium ſuis ipſius verbis clariùs eluceſcat, tum, ut his ipſis, quæ infra recenſebimus Sacris lipſanis, major à tanti Archi-Ducis teſtimonio autoritas accedat. Ea igitur literarum earum verba ſunt:

Nos Rudolphus Dei Gratia Archi-Dux Auſtriæ &c. Significamus univerſis Chriſti fidelibus in perpetuum, præſentibus, & futuris, quod nos eo tempore, quo recolendæ memoriæ Albertus quondam Dux Auſtriæ, Dilectus noſter Dominus, & Genitor prima vice ad terras noſtras ſuperiores Sueviæ nos deſtinaverit, in Briſacum venimus 3. Calend. Maij de Anno Domini M. CCC. XXXXXVIII. ætatis noſtræ Anno XIX. ac ibidem petivimus humiliter, & purè propter Deum, quatenus nobis Condivideretur, & donaretur de duobus ſanctis corporibus Beatorum Gervaſij & Protaſij, illuc de Mediolano translatorum, ac loco quieſcentium in eodem; de qua petitione à Presbyteris, & oppidanis ibidem fuimus cum magna Solennitate, & decentia exauditi, nobisque condiviſa fuerant ſanctiſſima corpora prædictorum. Deinde eodem Anno IV. Non. Maij corpora SS͠m. Martyrum Felicis & Adaucti ob preces noſtras votivas, & humiles, nec non purè, & ſim-

simpliciter propter Deum, per Venerabiles, & Religiosas in Xsto Abbatissam, & Conventum Monasterij in Erstáin, Ord. S. Benedicti Argentinensis Diœcesis in Alsatia nobis oblata fuerant, & donata, quæ etiam reverenter, & cum magna devotione recepimus, prout ex merito debebamus. Post hæc, defuncto dicto quondam nostro Genitore, cùm prima vice ad dictas terras Sueviæ ascendimus sub Anno Domini M. CCC. XXXXXX. in die Sancti Stephani Proto-Martyris ætatis nostræ Anno XXI. in Augia Majori propè Constantiam applicavimus, ac Religiosos, & Venerabiles in Christo Abbatem, & Conventum Monasterij ibidem Ordin. S. Benedicti Constantiensis Diœcesis exoravimus humiliter propter Deum, quatenus nobis corpora Sanctorum Joannis & Pauli, quæ ibidem quieverunt, nobis donare dignarentur, quæ habere desideravimus cum magna devotione, & integro desiderio nostri cordis; super quo ex gratia S. Spiritus propter Deum, & preces nostras sedulas donaverunt. Quæ quidem duo corpora, unà cum dictis quatuor corporibus Sanctorum Gervasij & Protasij, Felicis & Adaucti, cantu laudabili, magnis orationibus, & devotione intensa, nec non ornatu eximio in Civitatem nostram Viennensem per alveum Danubij deduximus reverenter, & hæc corpora in honore omnipotentis Dei manibus nostris in hunc sarcophagum deposuimus,

mus, quem substantiâ nostrâ fecimus compa-
rari. Et hoc totum obtulimus, & donavi-
mus purè propter Deum, & in honore Sancto-
rum omnium ad Ecclesiam S. Stephani in Vien-
na, in qua nos, Serenissima Catharina de Bohe-
mia, Domini Caroli Romani Imperatoris Filia,
nostra Conthoralis, nec non illustres Albertus,
& Leopoldus Fratres nostri Charissimi post no-
stros discessus aspirante altissimo feliciter quie-
scemus, ut Deus omnipotens, in cujus volun-
tate, & potestate cuncta subsistunt, nobis, &
dictis nostris Conthorali, & Fratribus, omni-
búsque nostris successoribus in hac vita donet,
& concedat prosperitatem, & salutem, ac vi-
tam æternam sæculo in futuro Amen. Acta
sunt hæc Viennæ in Vigilia die Sanctæ Penteco-
stes sub Anno M. CCC. LXIII. ætatis nostræ
Vicesimo quarto; Regiminis verò quinto
Annis.

Præter Sex hæc Sanctorum corpora, alia quoque ingentis & numeri, & pretij S. Lipsana hac in Ecclesia reperiuntur, tum ab eodem Rudolpho collecta, tum à successoribus ejus templo huic donata, quorum Syllabum dabo: Divisa hæc in tres classes sunt quarum prima auro, argentóque, tum & unionibus, ac gemmis varijs exornata continentur hoc ordine. 1. Argentea Christi Imago, inqua variæ olim Sanctorum reliquiæ repositæ fuerant, ponderat 46. marchas argenti, eámque Anno 1496. ex antiquis argenti fragmentis in Custodia repertis factam fuisse intelligo. 2. Argentea pariter effigies S. Leopoldi Patroni Austriæ, in qua Reliquiæ S. Stephani Proto-Martyris: eam Anno 1641.

Sena-

Senatus civicus elaborari curavit, ùt sequentes insculptæ literæ indicant: S. P. Q. V. Fieri fecit. 3. Imago S. Stephani pariter ex argento, cúmque ijsdem literis metallo incisis: in hanc imaginem Dominus Joannes Prugger Custos, Anno 1666. sequentes reliquias imposuit nempe S. Joannis Baptistæ. 6. dentes S. Apolloniæ. S. Agathæ. De ligno S Crucis. S. Christophori. De præsepio Domini. S. Achatij. S. Panthaleonis. S. Barbaræ Virg. & Martyr. S. Catharinæ. S. Margarethæ. S Hedwigis & XI. millium Virginum. Ex capite item S Georgij. 4. Argentea imago S Stephani manu lapidem tenens, quem inter illos fuisse volunt, quibus gloriosus hic Proto-Martyr. oppressus est. 5. Caput S. Gregorij Nazianzeni argenteæ thecæ inclusum. 6. Caput S. Andreæ, qui fuit è numero 72. Discipulorum Christi, argenteæ capsæ impositum. 7. De brachio S. Stephani Regis Hungariæ pars utcunque magna, auro, argentóque solido vestita. 8. Argentea capsa in formam, modúmque hierothecarum elaborata, in quâ è brachio S. Euphemiæ lipsana Sacra sunt recondita. 9. Hierotheca argentea 23 marchas ùt vulgò dicimus, ponderans, quam Anno 1615. 16. Januarij Mathias Imperator Cardinali Klesellio dono dederat 10. Pars magna de cruce S. Andreæ Apostoli cum illius argentea effigie. 11. Ex mensali linteo, seu mappa, qua Christus in cæna ultima cum Discipulis usus dicitur, in qua hæc verba leguntur. Pars mensalis Domini: Hanc Rex Ludovicus Archi-Duci peramicus, Xsti mensalis partem dedit Ungaricolis. 12. Ex fascijs quibus Christus involvebatur pars major, additis his verbis: Linteolum Christi Rudolphus Dux Templo tulit isti. 13. Insignes Reliquiæ ex linteo, quo Christi in sepulchro corpus involvebatur, in cujus 4. partibus 4. Evangelistarum effigies cum inscriptione; Rudolpho Duci

Austriæ

Auſtriæ de Sudario Crucifixi Ecce Moguntino venit hoc Antiſtite digno. 14. Capſa argentea, auróque obducta, ſupra quam reſurgentis ſervatoris effigies cum duobus cœleſtibus Genijs pari è metallo affabrè elaboratis, in qua lipſana Sacra SS. Gervaſij & Protaſij Martyr. item SS. Felicis, & Adaucti: hanc thecam ære ſuo curavit Dominus Wilhelmus Rechtberger Cæſaris Archiater. 15. In alia argentea theca variorum Sanctorum reliquiæ. 16. Mitra pretioſiſſima unionibus copiosè ornata, quam templo Cardinalis Kleſellius donaverat. 17. Duæ capſæ argenteæ paris formæ vitris inſtructæ, quæ varia iterum SS. lipſana includunt. 18. Argentea in Hierothecæ formam elaborata capſa, in qua oſſiculum reperitur ex humeris S. Catharinæ item lipſana S. Eucherij Archi-Epiſcopi, & S. Wolfgangi Regis Angliæ. 19. Ejuſdem propè formæ altera, quæ partem cinguli B. Mariæ Virginis continet. 20. Similis theca, in qua ſervantur lipſana SS. Fridolini, Prothaſij, Laurentij, Concordiæ & Gertrudis. 21. In eundem modum, formámque redacta theca argentea, in qua videtur os ex brachio S. Mauritij. 22. Capſa argentea hierothecæ ſpeciem referens, quæ ſolennes includit reliquias ex brachio S. Proto-Martyris Stephani. 23. Vitrum copioſo argento, auróque inductum, in quo ex brachio S. Nicolai Epiſcopi Sacra lipſana continentur. 24. Vitrum auro, argentóque in hierothecæ ſpeciem exornatum, in quo fruſtum clavi, quo Chriſtus cruci ſuffixus eſt, à Mathia Cæſare, & Imperatrice Anna templo donatum, ùt adjecta inſcriptio exhibet. 25. Theca argentea formæ à priori haud diverſæ, quæ S. Rochi Sacras reliquias exhibet ſumptibus Domini Raphaëlis à Nitſchen Canonici, ac Cuſtodis facta. 26. Crux argentea, auróque inducta, multis gemmis dives, quæ particulam Sanctiſſimæ crucis complectitur. 27. Alia crux eodem ex metallo cum varijs ſacris lipſanis; inter quæ & dens

unus S. Dorotheæ. 28. Theca argentea reliquias S. Urbani, S. Catharinæ, Bernardi, Ruperti, & Wilhelmi, S. item Andreæ Apostoli, S. Elisabethæ, spinam item ex corona Christi unâ cum gemmis magni pretij includens. 29. Capsa in hierothecæ formam ex argento constructa, in qua reliquiæ S. Reginæ. 30. Ejusdem formæ altera varijs gemmis distincta cum varijs sanctorum lipsanis. 31. Capsa in speciem sagittæ ex argento fabricata, auróque obducta, in qua cranium S. Sebastiani; Inscriptionē una sui parte exhibet sequentem. Reliquiæ SS. Fabiani & Sebastiani, ex altera sequens legitur: SS. Fabiane, & Sebastiane orate pro C. S. D. & R. S. N. A. Conjugibus M D C XII. 32. Aurea crux pedi insistens cupreo & inaurato. 33. Ex puro auro crux altera, in qua particula de sanctissima Christi cruce. 34. In hierothecæ speciem ex argento elaborata capsa multis pretiosis gemmis dives, quæ capillos B. Virginis Mariæ includit. Inscriptus illi olim legebatur numerus Anni 1190. at dein pretiosas has reliquias novis sumptibus vestiri curavit Reverendissimus Dominus Mathias della Massa, Cathedralis hujus Ecclesiæ Canonicus, & Senior Anno 1677. 35. Crux affabrè elaborata cum 2. Latronibus, adstantibus præterea Virgine Matre, ac charo discipulo Joanne, ad pedes verò procumbente Maria Magdalena: pretium addunt eidem 4 ingentis & formæ, & splendoris gemmæ. 36. Vitrum per elegans, quod reliquias S. Hermetis Martyris exhibet. 37. Paris formæ, sed ex argento capsa alia diversis plena sanctorum lipsanis. 38. Theca ex argento facta, in qua particula de spongia, qua Christus potatus fuit in cruce, de panno item, quo Christus fuit præcinctus, de ligno crucis. 39. Lipsana S. Reginæ, S. Stephani, S. Felicitatis, S. Ruperti, & S. Damasceni in concham miræ pulchritudinis reposita. 40. Vitrum pedi innitens argenteo, quod claudit reliquias S. Margaritæ V. & M. Item S. Lu-

cij

cij Regis Angliæ, & particulam de capite S. Leodegardi. 41. Imago S. Catharinæ ex argento cum rota & ense, ex eodem metallo. 42. Calix, quo usus est S. Rupertus Archi-Episcopus Salisburgensis. 43. Ovum struthionis argento exornatum, in quo plura Sanctorum lipsana. 44. Simile ovum alterum basi, seu pedi argenteo impositum reliquias SS. Afræ, Georgij, & Saturnini M.M. servans. 45. Capsa argentea 4. vitris instructa, in qua integer parvus pusio ex Innocentibus illis ab Herode occisis asservatur, quæ solennes reliquiæ ipso Innocentum festo die publicæ venerationi populi exponitur. 46. Similis argentea theca, in qua gemina capita SS. Cosmæ & Damiani, quæ festo ipsorum die, dum Facultas Medica solennia sua celebrat inter tubarum, tympanorúmque strepitum supplicatione publica circumferuntur. 47. In cuprea, auróque inducta capsa corpus S. Virginis Verenæ, quam sumptibus suis Reverendi Domini, Ecclesiæ hujus Curati Anno 1640. fieri curârunt. 48. Pretiosissima crux varias includens reliquias gemmis diversis distinctas, quam pretio 225. florenorum Dominus Stephanus de Zwierschlag curatam templo est largitus. 49. Manus argentea atque inaurata, in qua reclusa lipsana S. Cunegundis Virginis. 50. Manus altera ex simili metallo, sanguinem ex brachio S. Stephani continens, quam Illustrissimus Dominus Comes Balthasar Hoies Anno 1617. fieri curavit. 51. & 52. similes manus argenteæ, auróque inducto geminæ, in quarum una pars ex brachio S. Laurentij Martyris, in altera brachium S. Colomanni conclusum cernitur, quod Regina Galliæ Elisabetha Anno 1590. argento vestiri curaverat. 53. Argentea rursus manus unionibus varij generis, pretiosóque labore ornata, quæ brachium S. Fabiani Martyris complectitur. 54. Binæ capsæ argento divites: in prima horum de interiore veste B. Virginis. Reliquiæ S. Laurentij, & ossiculum ex brachio S. Bartholomæi & S. Clementis Martyris. In secunda lipsana S. Philippi Apostoli,

S. Ag-

S. Agnetis V. & M. S. Conradi, tres spinæ item ex corona Christi, quarum primam à Joanne Rege Galliæ acceptam, Archi-Dux & Fundator Rudolphus IV. templo dedit. His ipsis capsis addita inscriptio sequens: Suis sumptibus fieri fecit Anno 1665. Celsissimus & Reverendissimus Episcopus S. R. I. Princeps Philippus Fridericus Breüner. Constat hæc capsa utraque pretio 600. propè florenorum. 55. Reliquiæ ex S. Quirini Episcopi, & Martyris brachio, in theca argentea conclusæ. 56. Similis formæ altera ex pari metallo auro inducta, in qua reliquiæ ex brachio S. Achatij Martyris continentur. 57. Capsæ tres aureæ, adamantibus, unionibúsque distinctæ in quibus ex corona Christi particula cum alijs olim Sanctorum lipsanis includebatur, sed quæ dein in alias thecas translatæ sunt.

Secunda reliquiarum earum classis est, quæ nec auro, nec argento vestitæ, alijs tamen suis ornamentis non carent. Primum inter has locum obtinent corpora SS. Martyrum Chrysanthi, Cyriaci, & Marcellini Anno 1644. Româ huc ab Urbano VIII. Celsissimo ac Reverendissimo Domino Philippo Friderico Episcopo Viennensi missa, & in hanc cathedralem S. Stephani ædem solenni pompa illata, quæ diversis tribus cistis ligneis, vitris, rubróque holoserico interiùs instructis, includuntur. 2. Corpus S. Fridolini Confessoris, qui Scotiæ, Hiberniæque Regis filius fuerat additô authenticô membranæ inscriptô, ùt sequitur: Anno Domini M CCC L VIII. XIII. Januarij Magaretha de Grynenberg Abbatissa monasterij Seconiensis, Constantiensis Diœcesis donavit corpus S. Fridolini, ejus apertô Sarcophagô, qui clausus ibidem tenebatur, nongentis annis, & ultra, illustri Principi Domino Rudolpho Archi-

Duci Austriæ, Primogenito Serenissimi Principis Alberti Ducis Austriæ sub Anno ætatis dicti Domini Rudolphi XIX. &c. 3. Cistæ binæ ligneæ interiùs serico albo eleganter inductæ corpora SS. è Legione S. Mauritij contegentes. 4. In similis formæ, atque eadem è materia, elaborata altera, lipsana sacra reposita sunt S. Marci Evangelistæ, & S. Victoris Martyris. 5. Cistæ pariter ligneæ duæ serico, floribúsque exornatæ, in quarum prima frustum ex columna ad quam flagellatus est Xstus, in altera reliquiæ S. Georgij Martyris. 6. Lipsana S. Conradi Martyris in haud dispari capsa lignea. 7. Reliquiæ SS. Nominatorum variæ. 8. Ex brachio S. Hermetis, & Dorotheæ V. & M. 9. Ex ligno crucis, in qua suffixus est S. Andreas Apostolus. 10. Sancti Valentini Episcopi, Pataviæ sepulti. 11. S. Columbani Abbatis. 12. S. Morandi. 13. Corpora Sanctorum Patricij & Mortelli. 14. Lipsana Sanctorum Januarij Episcopi, Desiderij Diaconi, Lectoris Martyrum; quæ omnia ligneis in cistis eleganter ornatis quiescunt. 15. Arca quædam lignea vitris instructa, cui inscripta leguntur verba sequentia: Reliquiæ Diversorum Sanctorum hìc repositæ in die S. Lucæ Evangelistæ Anno M. CCCC. XX. 16. Cista pariter è ligno, vitróque constructa, qua præter S. Fortunatæ lipsana, Evagristi & Prisciani Martyrum corpora conteguntur. 17. Caput S. Leodegardi. 18. Caput unius ex 11000. Virginum & Martyrum. 19. Caput unius Martyris ex legione S. Mauritij. 20. Caput S. Carpophori Presbyteri & Martyris. 21. Duo capita Martyrum ex societate S. Ursulæ. 22. Caput S. Urbani Papæ & Martyris. 23. Caput aliud unius Martyris ex legione S. Mauritij. 24. Caput S. Morandi. 25. Caput S. Constantiæ, quæ quidem capita omnia nunc in capsas ligneas deauratas vitrísque instructas collocata sunt, in quibus etiam certis temporibus venerationi publicæ exponuntur.

Tertia demum classis reliquiarum, sacríque hujus Thesauri referenda venit, quæ continet sacra lipsana nondum vestita. 1mò quidem corpus S. Imbricij. 2. Corpus S. Conradi Peregrini. 3. Corpus S. Stephani de Armenia, quæ tria corpora priùs coreaceis in saccis involuta jacuerant, sed Anno 1676. in ligneas quoque capsas sunt imposita. 4. In simili capsa corpora. SS. Trophimi Episcopi, & Martyris ex discipulis S. Urbani Papæ & Martyris, Theodori Militis, & Sophiæ Viduæ. Addita quoque his lipsanis est schedula arma gentilitia *Rudolphi* Archi-Ducis exhibens cum sequentibus verbis: Hoc verum est. 5. Tria alia corpora Martyrum, Elisabethæ, Archemiæ, & Constantiæ. 6. Ensis quo usus est Carolus Magnus. 7. Ensis S. Udalrici. 8. Cuspis lanceæ, qua Judeus ligneum Christi crucifixi simulachrum perfodit, prodigioso adhuc illius sanguine conspersus. 9. Cuspis ex hasta, seu lancea S. Georgij. 10. Denique cranium *S.* Stephani Proto-Martyris à Leopoldo Cæsare unà cum Authentica templo huic dono datum, quod pretiosè vestire, auro & gemmis Leopoldus ipse destinaverat, sed morte ejus intercurrente etiamnum sine ornatu in lignea capsula servatur. Quod cum ceteris sanctis lipsanis à me recensitis, & conspexi ipse, & osculò piô sum veneratus.

TITULUS. XII.

De Aris, Organis, & Imaginibus, quæ in Cathedrali hac Ecclesia visuntur.

INter cetera Augustissimi hujus templi ornamenta, non minus memoranda veniunt Altaria 38. quæ per omnes partes pulchrò ordine collocata, mirum fabricæ aliàs sumptuosæ decus, splendorémque adjiciunt. Hæc inter & mole sua, & pretio longè eminet Ara

summa, quam deposita veteri Divo Marco sacra Celsissimus ac Reverendissimus Princeps Dominus Philippus Fridericus à Comitibus de Breüner sumptibus suis erexit, ùt Inscriptio scutis geminis albo è marmore affabrè elaboratis scalpro incisa testatur ; primum scutum, supra portam, qua ad sacristiam, ùt vulgò dicunt, Episcopalem via est, exhibet sequentem: Anno Domini M. DC. XLVII. Dominica quarta post Pascha, Ego Philippus Fridericus, Dei, & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Viennensis S. R. I. Princeps, consecravi hoc altare à fundamentis à me erectum in honorem S. Stephani Proto-Martyris, & omnium Sanctorum, & Reliquias de ligno S. Crucis. S. Stephani Proto-Martyris. S. Joannis Baptistæ. S. Andreæ. S. Jacobi Majoris. S. Bartholomæi. S. Simonis. S. Matthæi Apostolorum & Evangelistæ. S. Laurentij. S. Sigismundi Regis. S. Adelberti Episcopi. S. Macarij. S. Mauritij. S. Aurelij. S. Florentij. & S. Saturnini Martyrum. In scuto verò adverso, supra portam, qua ad thesaurum sacrum est aditus: hæc leguntur: S. Augustini Ecclesiæ Doctoris. S. Wolfgangi Ratisbonensis. S. Amandi Argentinensis Episcoporum. S. Ægidij Abbatis. S. Henrici Imperatoris. S. Leopoldi Marchionis Austriæ. S. Barbaræ Virginis. S. Emerentianæ Virginis. S. Felicitatis. S. Ludmillæ Martyrum. S. Kunegundis Virginis & Imperatricis. S. Mariæ Magdalenæ. S. Elisabethæ Filiæ Regis Hungariæ, in eo inclusi, & singulis Xsti fi-

deli-

delibus hodie unum Annum & in die Anniversario consecrationis hujusmodi ipsum visitantibus, quadraginta dies de vera indulgentia in forma Ecclesiæ consueta, concessi. Ara hæc Anno 1640. inchoata, perfecta tandem fuit Anno 1647. totáque ex marmore nigro huc è Polonia advecto exsurgit, varijs lemniscis, scalpríque artificijs, tum & undecim eleganter albo è marmore excisis statuis discriminata, à præstantissimo eo tempore Artifice Joanne Jacobo Pock. Tabula verò, cui vivis coloribus D. Stephani imago inducta cernitur, è stanno fusa est à Joanne Georgio Diebaldt, pretiô illi 522. florenorum persolutô. Coloribus hanc tabulam induxit, atque in ea artifice penicillo Proto-Martyrem saxis obrutum exhibuit Tobias Pock, cui in laboris pretium 1280. floreni, & quatuor pocula ex argento affabrè elaborata, auróque inducta cessère. Accedit splendori Magnificæ huic Aræ Tabernaculum, ùt vulgò loquimur, seu Arca reponendo Eucharistico Numini destinata è miri pretij lapidibus, gemmísque constructa, quæ sola 7756. facilè Rhenensibus æstimatur, tota verò summi hujus altaris moles 25497. florenorum impendijs constat.

Altera templi hujus Ara est S. Crucis, ad quod, dum sacris Augustissimi intersunt hoc in templo Cæsares, sub solenni liturgia gemini ex more Mystæ sacram Deo hostiam litant. Hanc Joannes Wolffgangus Strigl urbis hujus senator sumptibus suis erigi curavit, habétque id memoratu præ ceteris dignum, quod ad illud Canonici recens creati ab Episcopi vices gerente, quem vulgò Officialem dicimus, consuetis solennijs inaugurentur, ùt Rituale hujus Ecclesiæ his verbis præscribit.

In Vesperis sub Magnificat procedit Officialis, vel alius ab Episcopo nominatus, indutus

 Rochet-

Rochetto, & Stolla, & byretto ad Altare S. Crucis sequente installando cum duobus chori Capellanis, & Notario, ad quem conversus Installator interrogat: Quid petis? Respondet Installandus peto, & rogo installari in Canonicum Cathedralis hujus Ecclesiæ. Officialis: Habésne præsentationem? ℞. Habeo. qua à Notario lectâ subjungente Officiali: Hoc ut præstes, concedat tibi omnipotens & misericors Dominus, & pergente: Ego NN. potestate mihi ab Illustrissimo & Celsissimo Principe NN. Episcopo Viennensi concessâ ad præsentationem Invictissimi ac potentissimi DD. NN. Romanorum Imperatoris factam, perlectum te NN. in Canonicum hujus Ecclesiæ Cathedralis per Rochetti, & habitûs Canonicalis immissionem, nec non per Byretti capiti tuo impositionem, & libri traditionem instituo, & Canonicè investio, dans tibi realem & actualem possessionem hujus Canonicatûs, & Præbendæ, tradens insuper tibi per Clavium consignationem facultatem in spiritualibus, & temporalibus, quovis modo huc spectantibus plenariè regendi, & administrandi, atque ita investitum, & institutum confirmo in nomine Sanctissimæ Trinitatis. Veni sancte Spiritus. Dein cum oratione dicto ab altari procedunt ad stallum, dicente Officiali pro complemento hujus actûs: Sedem, & locum Canonicalem tibi in choro cum plenitudine juris Canonici assigno,

ídque

ídque ut cedat ad Dei Gloriam, Ecclesiæ hujus honorem, & tuam perennem felicitatem, ex animo precor. Confidente Installando recedit Officialis. Altera verò die ijsdem ceremonijs excepta professione fidei in Capitulo installatur, nec ante hanc 2dam installationem in choro licitum est comparere.

Tertia Ara 12 Apostolorum sacris honoribus dicata à Ferdinando Primo in memoriam magni Proavi sui Friderici erecta est, haud procul sepulchrô ejusdem ingentibus sumptibus, pretióque constructô. Decus singulare quoque aræ huic addunt è solido Porphyrite excisæ tres statuæ, Sanctorum nempe Christophori, Petri & Pauli. Hinc sequitur Altare 4. Passionis Dominicæ, aliàs etiam cœnæ Domini dictum, in quo Christus crucem bajulans à celeberrimo id temporis pictore Sandrart, ita eleganter coloribus expressus cernitur, ut & pietatem intuentibus, & picturæ peritis stuporem meritò, admirationémque moveat. 5. Ara, quæ à Divo Marchione Austriæ Leopoldo nomen habet, posita est liberalitate Dominorum L. B. de Ungarischitz, quorum etiam ibidem sepulchrum est. 6. Divo Jacobo Apostolo sacra Fundatorem, Autorémque habuit Admodum Reverendum Dominum Laurentium Haberel, Cathedralis hujus Ecclesiæ Cantorem, Seniorémque, cujus & corpus ibidem conditum. Altare 7. S. Floriani infra Oratorium Cæsareum, à Perillustri Domino Joanne Guilielmo Managetta Philosophiæ, & Medicinæ Doctore, triúmque Cæsarum Archiatro positum est, qui cum reliquis è sua familia penes idem altare quiescit. 8. B. Virgini & Martyri Catharinæ Sacrum, à quo etiam Sacellum ipsum nomen retinet, soléntque ad hoc ipsum altare Dominica palmarum rami; die solenni Paschatis carnes, vinum verò festa S. Joannis Evangelistæ luce veteri Ecclesiæ more benedici. 9.

à Divo Udalrico, cujus honoribus initiatum, est nomen obtinet. Ad hoc, quod Sacristiæ majori vicinum est, exponebatur olim cœlestis Genij imago unà cum ardenti cereo, qui à primis Vesperis S. Joannis Evangelistæ usque ad 2das arserat, post quas à Dominis Canonicis supplicatio ad hanc ipsam Aram duci, ibique Hymnus ad modum cantûs Mariani compositus à Musicis decantari consuevit, in memoriam (ùt Cuspianus in Austria sua pag. 66. meminit) quòd Divus hic Evangelista in Insula Pathmos vivus sepulchrum inierit. Sed ritus hos Anno 1686. Celsissimus Princeps & Episcopus Ernestus interdixit. 10. Altare olim S. Marco, nunc Divo Christi Nutritio Josepho consecratum est; steterat hoc olim in medio templi, summæque Aræ speciem, noménque gessit, donec à Principe, & Episcopo Philippo Friderico hunc in locum translatum, illiúsque locò novum è marmore, ùt superiùs memini, positum fuit. 11. SS. Trinitatis, à Figulis olim erectum, cujus pars media è limo formatam sanctissimæ Triados Imaginem exhibet, eo laboris artificio, è quo vili aliàs materiæ pretium non exiguum accrescit. 12. S. Vito dicatum est. 13. Sacrum est Divis Fabiano & Sebastiano. 14. Hoc Pictorum tribus omnium Sanctorum cultui, venerationíque erexit. 15. Divi Martini dictum, quod Reverendus Dominus Arnoldus Brenner Curati ad D. Stephani olim munere functus suis sumptibus posuit. 16. In Sacello S. Blasij altare ejusdem Sancti honoribus Sacrum. Ad quod altare Nuptijs, novísque sponsis à Sacerdote è recepto Ecclesiæ more benedicitur. 17. Altare & Sacellum D. Apostoli Bartholomæi. 18. S. Nicolai. 19. Altare S. Margaritæ, ad quod Fabri lignarij statutis per annum temporibus ad Divina conveniunt, ipso verò Divi Josephi festo eo plerúmque numero ad magnum hunc Patronum suum colendum accurrunt, ut pluries centennos numerare sit, dum inter solennem liturgiam ad offertorium procedunt. 20. Haud procul ab hac

Divæ

Divæ Margaritæ Ara gradus aliquot ad Sacellum Sancto Joanni Baptistæ dicatum educunt, in quo ejusdem cultui Ara exsurgit. In quo sacello Sacræ Mystarum vestes, auro, argento, gemmis, & unionibus divites, tum & pretiosus ornatus templi reliquus asservantur. 21. Infra hoc Sacellum D. Joannis Baptistæ aliud est Christi Crucifixi cultui sacrum, quod Dominus Udalricus de Tirva cum lectissima consorte sua Bertha, geminisque sorroribus Adlhaida, & Elisabetha sumptibus suis construxerat. In hoc Aræ tres exsurgunt, quorum 1. nunc Nativitati B. Virginis dicata est, at ejus olim locò altare ibidem S. Morandi fuerat, erexit hanc D. Virginis aram Dominus Guilielmus Rechtberger Medicinæ Doctor, penes quam etiam cum familia reliqua quiescit. Alterum Sacelli hujus altare, ordinéque 22. Est Divi Joannis Evangelistæ. Tertium demum atque ordine 23. Sancto Erasmo dicatum est. 24. A civibus quibusdam S. Andreæ Apostolo positum est, ad quod Dominus Arnoldus Brenner, Imaginem à celeberrimo Artifice Mathæo Manigella pictam Anno 1676. fieri curaverat. 25. Divo Maximiliano olim erectum est à Sartorum tribu, sed hoc deposito Domini Michaëlis Kurtz Mercatoris sumptibus aliud è marmore constructum, Divóque Archangelo Michaëli dicatum est, ad quod singulis per annum diebus incruenta Deo hostia litatur, annuis ad id censibus ab eodem attributis. 26. S. Ursulæ olim sacrum fuerat, at jam illius locò pretioso è marmore exsurgit aliud D. Francisci cultui initiatum. 27. E marmore eleganter erectum atque S. Catharinæ dicatum est. 28. S. Agneti. 29. Verò Apostolis Simoni & Judæ consecratum. 30. A Latomis Apostolorum Petri & Pauli honoribus positum fuit Anno 1679. 31. Sacellum S. Barbaræ cum ejusdem Ara. Reperitur in eodem sacello & Altare aliud S. Cypriani, ordinéque, 32. Quod ab Illustrissimo Domino Domino Comite de Conzin ex hebeno erectum, multisque alijs donis, argenteisque orna-

mentis ditatum est; penes quod etiam sepulchrum sibi, suisque construxit, additis 10000. Rhenensibus, è quorum censu Annuo in dies singulos Divina, tum & Anniversarius dies obitûs ab Ecclesiæ hujus, ùt vulgò dicimus, Curatis aguntur. Ejusdem Comitis liberalitate rebus hujus Ecclesiæ prægrande illud Candelabrum, ex Orichalcho affabrè elaboratum, inque templi medio è zona pendulum accessit, in quo 24. ardentes collucent cerei toties, quoties de Venerabili Altaris Sacramento per annum solennis liturgia habetur. 33. Sacellum S. Georgij unà cum ejusdem Ara, quam Dominus Theiffer erexit. 34. S. Annæ ab Illustrissimo Domino L. B. de Carlshoven non multos ante annos positum est. 35. S. Brictij altare Anno M. D. XIII. ab Illustrissimo & Reverendissimo D. Episcopo Georgio à Sclavonia erectum, penes quod etiam tumulatus est. 36. S. Wolfgango sacrum. 37. Atque ordine ultimum est B. Virginis in ejusdem Sacello maximo. positum à Senatu Civico è redditibus hujus Ecclesiæ. Imaginem quæ assumptam in cœlum Reginam exhibebat, Artifex præclarus Christianus Müller pinxerat, at illâ jam remotâ, ea quæ hodiedum cernitur artifice penicillo à præstantissimo sui temporis pictore Spielberger efformata, aræque huic imposita est.

Præter recensitas has à me Aras inter ornamenta templi reliqua memoranda quoque veniunt organa, vel mole sua, vel antiquitatis nomine suspicienda. Horum primum, omnium maximum, quod haud procul à Sacristia inferiori supra altare D. Udalrici eminet; hæc inscripta sibi verba exhibet: Ductu Senatûs hujus urbis, impensis templi Divi Proto-Martyris Stephani Patroni Viennæ primi hoc insigne Musicum Organum à Purchardo cognomine Tischlinger, ejus Artis Apollineæ Magistro Primario conficitur Anno 1507. & paulo inferius.

At-

Attonitam modò si cui mulcent Organa mentem
Musica, & ornatos expetis usque sonos,
Eja age, nunc subeas lætus sublimia templa
Hìc tua, quod doctè perbibat, auris habet.

Frequentiori usui olim, dum altare majus in medio adhuc templi erectum steterat, quàm modò, deservijt, tum enim ad omnes liturgias, quæ hac Sacra in æde habebantur, resonabat; at modò non nisi sub ingressu Imperatoris ad templum, certísque, dum exibidem p r annum habentur, supplicationibus auditur. Quare hoc ipso frequentiori antea usu destructum reparari debuit Anno 1681. duobus Fratribus Joanni Udalrico, & Ferdinando Römer, in laboris sui pretium quadringentis Rhenensibus persolutis. Huic à regione supra Aram SS. Apostolis Petro & Paulo Sacram videtur organum alterum minus quidem sed à vetustate sua memorandum, utpote quod Anno 1336. factum fuisse reperio. Supra hoc organum è lapide sculpta cernitur Imago Architecti cujusdam, manu exhibens, quam quidam illius pueri esse volunt, qui imperfectæ turris Autor invidiâ sui magistri, malóque ex illa dolo præcipitatus sit; sed fabulam hanc esse jam superiori titulo, ut quidem arbitror, satis à me ostensum est. 3. Omnium novissimum quidem, at artificio, pretióque laboris minimè posthabendum alijs, est in ipso musicorum choro ex adversa parte Cæsaris Augustissimi Oratorium respiciens, quod Senatus Civicus post erectam è marmore Anno 1647. Aram summam poni jusserat. Ad chorum hunc, tum & ad ipsum Principum Oratorium porta perelegans ex albo, rubrísque maculis pulcherrimè discriminato marmore, viam aperit, quam dein cochlea è lapide constructa ulteriùs in editum utrímque præbet, Oratorium verò ipsum Arculariorum operoso labore è ligno positum, aureis lemniscis, copiosisque in o-

mnem

mnem partem vitris, & bicipite superiùs eminente aquila instructum, Senatus Civicus sumptibus suis fieri curaverat. A quo templo ipsi non modicum decus ornamentúmque accedit.

At majus multò, illustriúsque à pijs tot imaginibus, quæ & à prodigijs frequentibus, & constanti populi cultu, ac veneratione indies magis clarescunt. Primum inter has sibi meritò locum vendicat Imago B. Virginis, quæ à loco, in quo primum illustrari prodigijs cæperat, Pötschensis hodiedum dicitur. Tabulæ illa ligneæ vili colore, levíque manu inducta speciem rudem quampiam illius præsefert, quam D. Evangelista Lucas pinxisse fertur, atque Mariæ Majoris vulgò nomen obtinet. Multis hæc annis in pago Comitatûs Zabolzensis à Græci ritûs quidem, at Romanæ tamen Ecclesiæ unitis asservabatur inter ceteras templi imagines, nulla tunc singulari in veneratione habita, donec tandem ingenti miraculo illustrata, stuporem primò, mox & pietatem accurrentis populi auxit. Cùm enim Anno 1696. 4. Novembr. Ruricola quispiam (Michaël Cöry fors dicebatur) Ecclesiam pietatis ergò subiret, non sine admiratione lachrymarum instar, guttas complures excidere Imagini huic conspexit, quod & dein per 14. continuos dies observatum, at præprimis 8. Decembris ipsa nempe Immaculatæ Virginis hujus conceptionis festa luce. Hinc rumor tanti prodigij latè in vulgus sparsus multorum studia, animósque brevi advertit, nec plebis tantum, sed & Procerum, summæque nobilitatis, Cleri deníque ipsius, qui cum Cæsarearum Legionum Tribunis è vicinis locis tanti prodigij vel videndi, vel explorandi causâ advolârunt. Rei demum tantæ veritate diu, multúmque explorata, juratísque firmata testibus, post diligens examen miraculum hoc singulare ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino Georgio Fenesy Agriensi tum Episcopo approbatum est, atque venerationi publicæ prodigiosa hæc Imago exposita. Sed non diu tanto pignore frui

Unga-

Ungaris licuit precibus siquidem Augustissimæ Imperatricis Eleonoræ id dari debuit, ut Viennam adferretur, quod & Anno sequente Millesimo scilicet sexcentesimo nonagesimo septimo. 7. Julij factum est. Excepit piam hanc Imaginem primùm Aula suburbana, quam, æstivis temporibus Austriaci Cæsares incolunt, tum verò Religiosorum ordinum templa propè omnia, ad quæ solenni supplicationum pompa deducta, & affluenti ubique incredibili hominum multitudini, venerationis ergò per dies complures exposita fuerat, donec in principe hujus urbis templo, ac in præcipua quidem illius Ara locum stabilem Cæsaris voluntate obtinuit, ubi à frequenti quotidie populo piè hodiedum colitur, multósque favores non sine prodigij sæpiùs etiam specie clientibus suis exhibet, ùt innumera propè anathemata, piæque tabulæ undique suffixæ testantur.

Altera ejusdem Clementissimæ, Beatissimæque Angelorum Reginæ Imago est Puerum JESUM ulnis suis gestans, quæ tres propè pedes altitudine adæquat sua. Fuerat hæc jam Anno 1492. in pila, seu columna templi penes SS. Simonis & Judæ Aram cultui plebis proposita, sed non nisi à paucis annis ob prodigiosos favores cultoribus suis concessos frequentari à pio populo cæpit. cui se adeò benignam, munificámque exhibet, ut plurima indies, vel è cera, vel argento munera, pictæ etiam non raró tabulæ acceptorum beneficiorum testes appendantur, nec hora jam diei vel ulla prætereat, quin Pientissimæ Matri supplex clientum suorum turba advolvatur, amantissimam toties opitulatricem Virginem experta. Inter devotos sacræ hujus Imaginis cultores, quæ novæ jam eodem in loco erectæ Aræ imposita est, memoratu dignissima venit Augustissima Imperatrix Claudia Felicitas Leopoldi I. Magni Cæsaris Consors 2da, quæ in ardentissimi amoris sui signum ingens ex argento candelabrum pensile ad ejusdem Divinissimæ Virginis cultum, vene-

ratio-

rationémque largita est. Sunt præterea haud procul Altari Divi Wolfgangi honoribus dicato effigies B. Virginis binæ aliæ, utraque Statuario opere è ligno efformata, utraque puerum JESUM brachijs suis complexa, quas ultra hominum memoriam à frequenti multitudine coli audio, ob gratias, favorésque plurimis sæpè sæpiùs concessos. Ad quem etiam cultum promovendum in plurium animis binæ ante easdem Imagines suspensæ lampades argenteæ perpetuîs Ignibûs dies, noctésque resplendent.

TITULUS Ultimus.

De Crypta Archi-Ducum Austriæ, de Epitaphijs item, ac alijs Inscriptionibus in hoc eodem templo reperiendis.

SPectanda hactenus prima Sacræ hujus Basilicæ exordia, progressus item præclaros, auctósque honorum titulos, tum & cetera ejusdem ornamenta, quæ in ea temporis penuria distractus in tot alias curas deprehendere animus poterat, sincerâ fide Lectorum oculis exhibuimus. Grata nunc in eos memoria, qui insigni in posteros pietate Urbem hanc nostram tam mirandæ molis templo, templum ipsum tot profusis sumptibus ornârunt, exigere â nobis videtur, ut & pios eorundem cineres, quos ambitu suo Divi Stephani Sacra hæc Ædes velut sinu complectitur, venerationis ergo è vetustatis tenebris erutos in lucem publicam demus. Et verò si cuiquam omnium id jure à nobis debetur, Rudolpho certè IV. id honoris, quantumcunque exigui tribuendum primo loco censui; qui primus omnium tam sumptuoso ædificio veterem hanc Ecclesiam auxit, tum & sepulchri locum successorum pijs manibus suscipiendis apparavit, in quo Serenissimorum Archi-Ducum, Cæsarúmque per plura jam etiam

secula

ſecula magni cineres quieverunt. In hac crypta, ad quam haud procul choro ampliſſimi è lapide exciſi gradus, binísque è rubro marmore tabulis cooperti deducunt, in medio oſſa Rudolphi ipſius cernuntur pelli bovinæ inſuta, aureóque panno contecta, quod ea de cauſa factum arbitror, ut tantò commodiùs Mediolano, ubi Anno M. CCC. LXV. 27. Julij piè obijt, huc ad nos, inque Eccleſiam à ſe erectam deportarentur. Epitaphium illius, inſcriptionésque ceteras tumulo illius additas, cùm jam titulô tertiô ſuperiùs reddiderim, brevitatis cauſâ hìc loci repetere ſuperſedeo. Ad lævam Rudolphi, deſcendentibus primô locô ſeſe offerunt cineres Alberti vulgò dicti cum Trica, quos pellis rurſus bovina, tum & pannus aureus inſtratus involvit. His parte una gladius gentilitium Habſpurgicæ Domus ſcutum, tum & Provinciarum Auſtriacarum inciſa inſignia exhibens, parte verò altera crux è plumbo efformata incumbit, in qua ſequentia verba leguntur: Anno Domini M. CCC. LXXXXIV. obijt Albertus Dux Auſtriæ &c. in decollatione S. Joannis. Hinc proximè ſequuntur oſſa Georgij Archi-Ducis pari cum ſuperioribus modo involuta, cui & gladius jam propè rubigine conſumptus, tum & crux plumbea impoſita eſt, in qua hæc inſcriptio: Anno Domini M. CCCC. XXXV. 16. Februarij obijt Georgius Filius Domini Alberti Quinti Ducis Auſtriæ & Marchionis Moraviæ hic ſepultus. Ad lævam Rudolphi manum proximum videtur ſepulchrum Alberti cum Trica dicti Filius, cui pariter præter gladium crux plumbea addita, quæ inciſa ſequentia exhibet: Corpus Illuſtris Principis Alberti Ducis Auſtriæ &c. qui plurimis virtutibus clarus obijt in Chriſto die Dominico Feſto Exaltationis S. Crucis Anno Domini

M. CCCC.

M. CCCC. IV. De hoc eodem Principe codex Antiquissimus MS. in Bibliotheca Cæsarea à me repertus, qui Ducum Austiacorum Necrologiam continet hæc breviter memorat. **Anno Domini 1404. starb Herzog Albrecht des obgenandten Herzogs Albrechts Sohn ze Wienn, da er von Znaim aus dem Feldt kome; und sein gemahl war ein Fürstin von Holland, mit der ließ er ein Sohn, hieß Albrecht, und ist begraben ze Wienn zuo sand Stephan.** Rursus ad dexteram Rudolphi Fundatoris Exuviæ sunt Archi-Ducis Wilhelmi, eodem, quo ceterorum esse Principum ossa diximus, modo conditæ, cui gladius cum cruce addita, in qua sequens breve Epitaphium continetur. **Wilhelmus, Leopoldi Filius, Dux Austriæ &c. obijt in Christo Anno ætatis suæ XV. die 10. Julij Anno Domini M. CCCC. VI. & hic est reconditus, & positus ad dexteram Rudolphi, & desuper gladius.**

Videndæ & hic sunt tres aliæ tumbæ trium Principum Austriacorum cineres concludentes, sed quorum nomina oblivio, edáxque rerum vetustas delevit, eò quod nulla ijsdem inscriptio adjecta reperiatur, nisi quod supra primi tumulum parieti nomen Alberti minio inscriptum sit. Quiescit præterea hac ipsa in crypta Leopoldus IV. Archi-Dux cognomento ab alijs Crassus dictus ob corporis obesi molem, ab alijs etiam Superbus, eò, quòd ad Comitia, quæ Ratisbonæ habebantur ingentem secum Nobilium comitatum præter copiosum famulitium adduxerit, ad ejus cineres gladium additum fuisse vagina indicat, quæ sola nunc superest cum sequenti inscriptione: **Leopoldus Filius Leopoldi, Dux Austriæ &c. obijt in Christo-**

sto die 3. Junij Anno Domini 1411. & hìc est reconditus. Sepultus & hoc eodem in loco videtur Albertus VI. Archi-Dux Austriæ, qui, ùt Fuggerus testatur Anno 1463. 2. Decembris fatis concessit; nam ipsius cryptæ pavimento immissa tabula lapidea hæc verba exhibet. Albertus Ernesti Ducis Austriæ Filius. Mediæ inter Principum horum cineres Maximiliani II. Cæsaris proles quiescunt: singulæ singulis loculis ê stanno elaboratis inclusæ, ùt additæ ubique Inscriptiones indicant, quas subjungo. 1ma. Carolus Archi-Dux Austriæ Filius Maximiliani II. Romanorum Imperatoris, Hungariæ, & Bohemiæ Regis &c. Ex Maria Caroli V. Romanorum Imperatoris Filia. Natus Viennæ die 27. Mensis Septembris Anno Domini 1565. Obijt ibidem die Ascensionis Dominicæ 23. Mensis May Anno 1566. 2da. Ferdinandus Archi-Dux Austriæ Filius Maximiliani Regis Bohemiæ, Archi-Ducis Austriæ &c. ex Maria Caroli V. Romanorum Imperatoris Filia in Cicales Oppido Castiliæ 28. die Mensis Martij Anno 1551. natus. Obijt Viennæ Austriæ 25. die Mensis Junij Anno Domini 1552. Maria Erz-Herzogin zu Ostereich, Maximiliani II. Röm. Kaysers, auch zu Hungarn und Böheim Königs Tochter. Starb den 26. Tag Martij des 1564. Jahrs, ihres Alters 6. Wochen.

Ab hoc dein tempore bellorum perpetuis motibus, perturbatisque Provinciarum, ac præcipuè Austriæ rebus adeò Cryptæ hujus memoria interciderat, ut per seculum propè integrum ignota omnibus latue-

 rit;

rit; donec tandem â Domino Schnepff, qui Ferdinando III. piæ memoriæ Augustissimo Cæsari â cubiculis fuerat, sepulchri locus haud procul â minori Organo pro se suisque construi cæptus est, quo in opere, dum profundiùs à Murarijs foditur, cryptæ hujus Augustæ primùm muri ac ijsdem perruptis tantorum Principum magni cineres denuò reperti sunt. Hujus inopinæ rei famâ in Aulam delatà, illicò lege sancitum à Ferdinando Imperatore fuerat, ut deinceps demortuorum Principum Austriæ intestina hanc ipsam in cryptam inferantur, quod & hucusque factum esse tot Cuprea vasa argenteis operculis clausa, quæ in eadem hodiedum videre est, testantur. Singulorum verò nomina argento incisa Epitaphia exhibent, quæ ordine suo subnecto.

Intestina Ferdinandi IV. Romanorum Regis semper Augusti, nec non Hungariæ, Bohemiæ, Croatiæ & Sclavoniæ &c. Regis, Archi-Ducis Austriæ &c. natus Viennæ 1633. die 7. Septembris Obijt Anno 1654. die 9. Julij, vixit Annos 20. Menses 10. diem unum.

Intestina Ferdinandi III. Romanorum Imperatoris, Hungariæ, Bohemiæque Regis Archi-Ducis Austriæ &c. Ferdinandi II. Cæsaris Filius natus est Græcij 13. Julij Anno 1608. denatus Viennæ 2. Aprilis 1657.

Intestina Ferdinandi Josephi Archi-Ducis Austriæ Filij Ferdinandi III. Imperatores ex Maria Eleonora Mantuana Caroli Filia nati 11. Februarij Anno 1657. denati 16. Junij Anno 1658.

Intestina Leopoldi Guilielmi Archi-Ducis Austriæ Imperatoris Ferdinandi II. Filij, & Fer-

Ferdinandi III. Fratris nati Neoſtadij in Auſtria 1614. die 6. Januarij denati Viennæ 1662. die 20. Novemb.

Inteſtina Ferdinandi Leopoldi Archi-Ducis Auſtriæ Filij Leopoldi I. Imperatoris Aug. ex Margarita Hiſpaniarum Infante Philippi IV. Regis, & Mariæ Annæ Auſtriacæ Filia, nati 28. Septembris Anno 1667. Denati 13. Januarij Anno 1668.

Inteſtina Joannis Auſtriaci, Leopoldi Imperatoris, & Margaritæ Hiſpaniarum Filij nati, & denati Anno Domini 1670. die 20. Febr.

Inteſtina Mariæ Annæ Auguſti Leopoldi Filiæ natæ Anno 1672. die 9. Februarij, denatæ 23. Februarij.

Inteſtina Margaritæ Infantis Hiſpaniarum Philippi IV. & Mariæ Annæ Auſtriacæ Filiæ, & Leopoldi Cæſaris primæ conjugis jam prægnantis uno Principe Sex menſibus, ante tempus Catharo 12. Martij Anno 1673. extincta fuit ante tertiam matutino tempore.

Præter hæc eadem in crypta reperiuntur inteſtina Leopoldi Magni, & utriuſque Auguſtiſſimæ Conjugis, Claudiæ ſcilicet Felicitatis, & Eleonoræ Magdalenæ Thereſiæ, quæ ultima ſuperiori primò Anno lugente orbe illata ſunt. Inteſtina item Joſephi Cæſaris Glorioſiſſimi Principúmque duorum, quos Auguſtiſſimis Fratribus Joſepho & Carolo ſeu primitias cælo debitas præmatura fata abripuêre: quorum additas inſcriptiones ad manus non habeo. Superi optimi Domum hanc Auguſtiſſimam diu nobis ſervent incolumem, nec niſi ſeri poſteri magnos eorum cineres Auguſtæ

cryptæ inferri, Majorúmque cum Manibus confundi, lugeant.

At non ita Principum Austriacorum ossa huic uni inclusa cryptæ sunt, ut non per reliquum quoque templum complurium eorum exuviæ suis cum Epitaphijs, & inscriptioibus reperiantur; quas una cum reliquis eo ordine, quo collocatæ sunt, hic subjiciam. In Sacrario ubi nunc Capituli Decanus locum suum in choro obtinet Porta olim fuerat, ad Thesaurum sacrum viam aperiens, sed quæ novis subsellijs ab Episcopo Philippo de Breuner in usumCanonicorum constructis, ita nunc occlusa est, ùt nihil de illa videre jam sit, præter geminas marmoreas tabulas superiùs prominentes, in quarum prima hæc inscripta reperio;

Anno, Milleno, tricent. XLquoque septem
Sabto sub terna Fridericus nascitur hora
Alberti natus Ducis Australísque Joannæ
Principis, ac terna Sãbti decessit in hora
Vivis ex membris Idus quartáqueDecembris.
Anno Milleno Cter LXque secundo.

Altera verò tabula ex simili marmore Inscriptionem habet sequentem.

Anno Domini 1365. post Festum Jacobi Apostoli Dominica proxima obijt in Mediolano Dominus Rudolphus IV. Dux Austriæ, Styriæ, Carinthiæ, & Carnioliæ Princeps Illustrissimus, terrarúmque suarum Potentissimus, hujus Præposituræ Fundator, qui Dominam Catharinam Filiam Domini Caroli quarti Imperatoris gloriosissimi habuit in Consortem. Iste enim Rudolphus Comitatum Tyrolensem augendo adjecit ad Austriæ Principatum.

Hinc

Hinc ad partem dexteram haud procul lapideâ illâ Cochleâ, quâ ad Oratorium Cæſareum aſcenſus patet, lapis ingens ſepulchralis cernitur binis ex Orichalcho annulis inſtructus, cui ſuperiùs in pila, ſeu columna templi Scutum gentilitium cum expanſo vexillo affixum eſt, quod inſigne exhibet Illuſtriſſimi Domini de Wimbbach Cæſarei Colonelli, qui Anno 1619. Salisburgi 10. Aprilis obijt.

Ad Altare paſſionis prodigioſi laboris monumentum eſt Friderici Imperatoris, tanta arte, ſumptibúsque conſtructum, ut paris pretij numerare nullum Europa noſtra videatur. Inchoavit hanc Auguſtam molem adhuc Fridericus ipſe, at non niſi ſuperiorem partem ante obitum ſuum perfectam vidit, quare inchoatum opus per 20. dein Annos à Filio illius Maximiliano maximis expenſis continuatum eſt, quo abſoluto dein labore Auguſtiſſimi Parentis oſſa in Crypta per hos annos, quam paulò ante deſcripſimus, condita, hoc in ſepulchrum Cæſare tanto, Filiique pietate dignum tranſtulit. Exſurgit inſignis hæc machina ex albo, purpureíque coloris marmore, undique artificio incredibili efformatis ferarum, beſtiarúmque formis inſtructum, pluribúsque quàm centenis Imaginibus ad majeſtatem ſummam exornatum, quarum quælibet 1. & medium pedem altitudine ſua æquat. Superiùs imminent 30. Provinciarum hæreditariarum inſignia, atque in 4. Sepulchri angulis Electorum Principum pari è lapide eleganter elaboratæ Effigies, inter quas media Friderici ipſius Imago jacet, Imperatorijs veſtibus, coronáque ad tantam Majeſtatem artificis à manu elaborata, ut intuentibus inſignem venerationem etiam invitis extorqueat. Ex ore illius 5. hæ literæ prodeunt, quibus dum viveret ſæpius uſus eſſe Fridericus dicitur, nempe. A. E. J. O. U. his alij ſignificare Cæſarem voluiſſe contendunt. *Aquila, Electa, Juſta, omnia, vincet.* Alij interpretantur in hunc ſenſum: *Auſtriæ eſt Imperare orbi Univerſo*, aut etiam: *Auſtria erit in or-*

 be

be ultima. Imaginem Friderici circumdant ſcuta Gentilitia Domûs Habſpurgicæ. Ad verticem verò Effigies S. Chriſtophori Puerum JESUM humeris ſuis geſtantis erigitur, appenſæ denique à Maximiliano binæ æreæ tabulæ auro obductæ eidem ſepulchro fuerant, in quibus vita, diésque obitûs illius deſcriptus eſt. Aliam Imaginem præterea pictam paries vicinus Friderici hujus exhibet, infra quam ſequens Inſcriptio legitur:

Imperator Divus Fridericus tertius, pius, proſper, Auguſtus, Chriſtianitatis ſupremus Princeps, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ Rex. Archi-Dux Auſtriæ, Dux Styriæ, Carinthiæ, & Carnioliæ, Comes & Princeps Sveviæ, Marchio ſupra onaſum, & Burgaviæ, Comes Phirretis & Kiburg, Dominus Marchiæ, Sclavoniæ, & Portus Naonis &c. Princeps Religioſiſſimus, qui Sacrum Romanum Imperium ſumma juſtitia, & virtute 53. annis ſapienter, & moderatè rexit, quique Filio ſuo Maximiliano Imperatori Glorioſiſſimo Sereniſſimam Dominam Mariam unicam Filiam, & hæredem divi Caroli Ducis Burgundiæ potentiſſimi legitimo thoro Copulavit, ex quo quidem feliciſſimo connubio omnes Ducatus, Principatus, Marchionatus, Comitatus, & Dominia, quæ præfatus Carolus Dux terrâ, Mariquе poſſedit, Felici Domui Auſtriacæ juri perpetuo acceſſerunt, quæ & Imperator Maximilianus potenti manu & gladio Conſervavit. Ipſe Fridericus talibus, multíſque alijs Imperatorijs virtutibus perſpicuus, naturæ debito perſoluto celeberrimis

rimis exequijs devotè celebratis in præsenti monumento reconditus est. Hic Fridericus tertius nascitur Æniponti Anno Salutis nostræ 1419. die 19. Octobris. Eligitur in Regem Romanorum Francofurti Anno 1440. die 30. Martij. Coronatur in Augustum, ac Imperatorem Aquisgrani Anno 1442. die 17. Junij, & Romæ à Papa Nicolao V. Anno 1493. sepultus in Neüss ætatis suæ 77. anno Mens. 10. die 12. Imperij Anno 53. die 7. Mensis Novembris cujus corpus in hoc Saxum reconditur.

Totum hoc augustum monumentum, quod longitudine sua 5. facilè ulnas, latitudine verò 2½. complectitur tanti à scriptoribus, rerúmque peritis æstimatur, ut illud 40000. aureis constitisse autument.

Propè hoc sepulchrum marmor cernitur sepulchrale, insignia civium quorundam Viennensium exhibens, quos Leopoldus Archi-Dux Austriæ hujus nominis IV. ob seditionem in se concitatam, conjurationémque cum Ernesto illius Fratre initam Viennæ Anno M.CCCC.VIII. capite plecti jusserat, quorum nomina incisum lapidi Epitaphium refert hìc à me subjectum:

Sta, fle, plange, geme mortalis homo, lege, disce,
Quid labor, atque fides, quid mundi Gloria, quid spes
Prolis, Divitiæ, quid honor prosit, tribuátque!
Ecce brevi saxo tres Cives cerne sepultos:
Conradum Vorlauff, Kunz, Rompersdorffer, & Hans Rock.

Magnificos etenim cunctis hac urbe priores,
Officijs celebres, quos ritus nomen honoris
Emeritos vexit, fortunæ sed rota fallax
Acephales, furiâ dedit unâ, quos amor unus
Fœdere Civili conjunxit, sic quod utrique
Hic prior ille prior, contendunt flectere colla
Sustulit infaustum sed Vorlauff tunc prioratum.

In Sacello S. Catharinæ sepulchrum est Celsissimi Principis & Episcopi hujus Ecclesiæ Antonij de Wolfrath, qui sibi id in vivis construxit, hac addita inscriptione:

Fui
Abbas, Episcopus, Princeps;
Sum
Pulvis, Umbra, nihil
Anno M. DC. XXXIX.

Sed successor illius Philippus Fridericus è Comitibus de Breuner novo tumulum Epitaphio, nigro marmori inserto ornavit, quod reddo:

Antonio
Religione, Prudentia, animi magnitudine, rerum humanarum, Divinarúmque scientiâ ijs Comparando, quos vidit, & obstupuit antiquitas.

Viro tribus Infulis pari
Hilariensi, Cremiphaniensi, ac Pontificum Viennensi; Augusti Imperatoris Ferdinandi II. & Ferdinandi III. intimo Consiliario, ad ordines

Sacri

Sacri Romani Imperij Sapientiſſimo Legato: Ob labores Reipublicæ Causâ fortiter ſuſceptos, & feliciter geſtos, inter Imperij Principes adſcito

Domi, Forisque Magno
Ut Mortuus Viveret apud poſteros Philippus
Fridericus Epiſcopus Viennenſis
In Cathedram Succeſſor, in tumulum
Succeſſurus poſuit.
Vixit Annos LVIII. obijt Año M.DC.XXXIX.
Kalend. Aprilis

In altero Sacello Crucifixo ſervatori ſacro exeuntibus ad dexteram ſeſe offert ſepulchrum Cuſpiniani Scriptoris clariſſimi cum ſequenti Epitaphio:

Joannes Cuſpinianus Doctor, quondam civitatis Viennenſis Præfectus. Anna Maria octo liberorum. Agnes altera Conjux.

Excolui primùm Muſas, & Apollinis Artes
Nempe fui Medicus, túncque Poeta ſimul.
Poſtea me rebus natum majoribus auxit
Cæſar, & ornavit Præſidis officio.
Illa igitur noſtro ſint verba inſcripta ſepulchro
Vitam vixi olim, Cuſpinianus eram
Hiſtoriæ immenſæ monumenta æterna reliqui
Vivus in his ſemper Cuſpinianus erit.
Vixit Annis LVI. Anno M.D.XXIX. Menſe
Aprilis die 19. obijt.

Nomina Liberorum.

Sebaſtianus Felix.	Nicolaus Chryſoſtomus.
LeopoldusAnaſtaſius.	Anonymus.
Anna Theodora.	Joanna Agatha.
Helena Alexandra.	Barbara Sophia.

Rurſus infra Aram D. Virg. & Mart. Catharinæ, quæ nunc è marmore erecta eſt in eadem templi majori columna Epitaphium erectum eſt è tabula lignea Friderico Nauſeæ templi hujus, ac urbis Epiſcopo, cujus in eadem Effigies è pulpito Sacro ad populum dicentis coloribus expreſſa eſt, ſubjecta hac inſcriptione:

Reverendiſſimo in Xſto P. Domino Friderico Nauſeæ Epiſcopo Viennenſi, qui vitâ momentaneè Tridenti in Concilio defunctus; inde translatus, hìc ſepultus eſt.

Antonius Mugliz Succeſſor P.
Anno Domini M. D. LX.

Dominus ad judicium veniet *Eſaiæ 3.*
Pœnitentiam agite. *Ezech. 18.*

Catholicum pavi populum ſic Nauſea verbo
Ut pax Eccleſiæ toto floreret in orbe
Pars ideo ſum Concilij, moriórque Tridenti
Oſſa Vienna tenet, ſed Præſulis abdita chari.

Sepulchrum illius in medio templi eſt eo ferè loco, in quo olim ſumma Ara D. Marci Steterat, ùt ſepulchrale marmor, quod illius oſſa premit ſequenti inſcriptione indicat:

D. Franciſcus Nauſea Epiſcopus Viennenſis
Anno Domini M. D. LII.

Penes Altare S. Briccij, quod Georgius à Sclavonia IV. hujus Ecclesiæ Episcopus erexit, ejusdem quoque ossa quiescunt in monumento à se etiamnum, dum in vivis ageret, constructo, cui dein & sequens Epitaphium est additum:

Georgius Slatkonia natione Carniolus Civitatis Lubacensis, hujus templi Pontifex, & Patensis Administrator. Divi Maximiliani Cæsaris Augustissimi à Consilio, Archi-Musicúsque. Vir Peritissimus, modestissimus, integerrimus, qui in ornando Episcopatu Viennensi omnes Antecessores suos facilè superavit. Vivus sibi hoc monumentum fieri Curavit Anno salutis M.D.XXII. 6. Kalend. Maij. Vixit Annis 66. Mense 1. diebus 5.

Demum propè Aram B. Virginis in Sacello ejusdem Maximo monumentum videtur è marmore eleganter excisum, & inter binas columnas ad cornu Epistolæ situm, in quo Filius Alberti II. sapientis aliàs dicti, est conditus, at quis ille fuerit omnino incertum est, Communior tamen opinio fert eum Fridericum Alberti ultimò genitum esse; Tumulo huic inscriptum reperio sequentes versus.

Alberti Ducis Australis jacet inclyta proles
Conjugis ipsius de Ferretisque Joannæ
Hoc tumulata loco populo recolenda devoto.

Ante idem Altare B. Virginis conditus est Klesellius Cardinalis, Viennensisque Episcopus, ut lapis in medio Sacelli hujus positus his inscriptis verbis indicat:

Reverendus Dominus Melchior Klesellius Viennensis Austriac. cùm ab invictissimo Cæsare Rudolpho Anno M.D.LXXIX. proprio motu

motu in Præpositum Sanctæ Cathedralis hujus Ecclesiæ publicaretur, ejusdem pari benignitate in Episcopum Anno M. D. XCVIII. XXIV. Januarij die proclamatus. Insuper à Paulo V. summo Pontifice Apostolici Concionatoris titulo insignitus, multis, ac varijs pro Ecclesia Dei, & Christiana Republica susceptis laboribus confectus Deo animam reddidit Anno: M. DC. XXX.

Verùm successor illius Celsissimus Princeps Antonius de Wolfrath eidem in rubro, albóque marmore insigne aliud ad cornu Altaris hujus sinistrum liberalitate Principe digna Epitaphium erexit, quod subjungo.

Monumentum
Eminentissimo, & Reverendissimo Principi, & D. D. Melchiori. S. R. E. tit. S. Mariæ de Pace Presbytero
Cardinali Klesellio
Episcopo Vienensi, & Neostadiensi, Augustissimi Imperatoris Mathiæ arcanorum Consiliorum Directori.
Hæresum Persecutori
Religionis Catholicæ hìc labentis Restauratori.
Maximis P. P. & Imperat. Rom. ob excelsas Ingenij, ac naturæ dotes ad summas res adhibito, Eloquentiâ, Consilijs, Legationibus, & ingentibus factis per orbem Christianum
Clarissimo

Qui

Qui utraque fortunâ domitâ exactis vitæ Annis LXXVII. Episcopatûs Viennensis XXXVI. cælo jam maturus facultates suas â Deo sibi commissis Ecclesijs, corporis verò exuvias meritorum suorum deinceps gloriâ vestiendus morti lubens cessit. Die XVIII. Septembr. CIↃ. IↃ. C. XXX.

Hìc ad Aram B. V. M. sepultus.

Antonius

Ejus in Episcopatu Viennensi Successor, Invictissimorum Cæsarum Ferdinandi II. & Tertij Consiliarius intimus Præsuli æternâ memoriâ dignissimo piè posuit.

In eodem præterea sacello requiescunt duo alij Celsissimi Principes, Ecclesiæque hujus Antistites Reverendissimi. Philippus scilicet Fridericus è Comitibus de Breüner, & Wildericus ex Baronibus de Wallendorff. Ambo in tumbis è cupro inclusi, inque cryptas suas depositi, additò utrique Epitaphio laminæ cupreæ inciso, in hæc verba.

Requiescit in hac tumba.

Philippus Fridericus ex Comitibus de Breüner Episcopus Viennensis. S. R. I. Princeps. ætatis suæ Anno LXXII. Præfuit Ecclesiæ huic cathedrali Annis XXX. insigni zelo, salutari verbo, & raro exemplo. Obijt in Domino. Die XXII.

Anno M. D. C. LXIX.

Requiescit in hac tumba

Wildericus è Baronibus de Wallendorff,

Episco-

Episcopus Vienensis. S. R. I. Princeps. S. Cæs. Majestatis Consiliarius intimus, Præpositus Spirensis. Canonicus Metropolit. Moguntinæ, & Cathedralis Herbipolens. Ætatis suæ Anno LXIV. Præfuit huic cathedrali Ecclesiæ Annis XI. obijt in Domino Die IV. Septembris Anno Domini. M. D. C. LXXX.

Atque hæc quidem sunt præclara illa templi hujus maximi ornamenta, quæ memoratu digna, &, si quæ hactenus sciendi cupidos latuêre, in publicam vindicanda lucem existimavi, duplex quidem, ùt arbitror relaturus hinc laboris mei pretium, tum quòd gentes exteræ, adeò in extollendis rebus suis studiosæ, urbis quoque nostræ amplissima decora edoceantur; tum quòd eorum animis, quibus quotidiano usu molis tam Augustæ structura fortassis non nihil viluit, nova rursus illius veneratio, atque sincerior, quàm antea fuerat, opinio accessura videatur. Illud unum â benevolo Lectore gratiæ locò postulo, ut eo animo, quo à me susceptus est, laborem hunc, quantuscunque sit, æstimet, nec vitio id mihi tribuat, quòd multa non nisi obiter percurrerim, plurima fortassis etiam prætergressus sim, quæ accuratiori à me pertractari scriptione debuissent. Obstabant nimirum, & temporis ipsius angustiæ, & literarum tradendarum negotia propè quotidiana, tum & præfixa brevitas, libello aliunde fusiùs, quàm apud me initio statueram, excurrente. Nec deerunt fortassis, qui levi hoc studio meo excitati auctiore aliquando scriptionis genere vel sacræ Basilicæ hujus res illustrabunt; aut certè quæ à me prætermissa sunt continuato deinceps labore in lucem publicam majori laude famâque vindicabunt.

FINIS.

NOMI-

NOMINA OFFERENTIUM
Ordine Alphabetico.

JOſephus Ferdinandus S. R. I. Comes ab Hardegg.

Franciſcus Carolus Stampfer L. B. à Waalchenberg.

Stephanus Balintit de Tövis, Spectabilis Ungarus Tranſylvanus.

Equites & Perilluſtres.

Albertus de Menshengen S. R. I. Eques, & Infer. Auſtriæ Provincialis.

Antonius Paulus de Vorſtern S. R. I. & Regni Ungariæ Eques.

Carolus Franciſcus Xaverius de Palleſtrazzi.

Carolus Fridericus de Pfiſter S. R. I. Eques.

Carolus Joannes Burcard Nobilis de Cleè S. R. I. Eques & Auſtriæ Inferioris Provincialis.

Carolus Joſephus de Fellner S. R. I. Eques.

Franciſcus Aurelius de Capitolo S. R. I. Eques.

Fridericus Auguſtus de Welſer.

Geor-

Georgius Ferdinandus de Fellner, S R.I. Eques.
Jacobus Nicolaus Mitlieb de Anderſon.
Ignatius Antonius de Kollery.
Ignatius Ferdinandus de Puechberg Regni Ungariæ Provincialis.
Joſephus Adamus de Roſty.
Joſephus Carolus Rauchmüller de Ehrnſtein S.R.I. & Reg. Bohem. Eques.

Prænobiles, & Nobiles.

Ferdinandus Simbſchön.
Georgius Henricus Rettlſtörp.
Godefridus Ferdinandus de Laimbeckhoven.
Ignatius Nicolaus Nagl.
Joannes Georgius Pock de Arrenholz.
Joannes Matthæus Bruckentheiſs.
Joannes Paulus Wimmer.
Joſephus Andreaſi.
Joſephus Pruner.
Joſephus Antonius Wimmer.
Leonardus Joſephus Haider.
Maximilianus Truckmiller.
Nicolaus Thadeus Prieſterſperger.
Paulus Matth. Tſchabuesnig.
Urbanus Biſchoff.